

CONSTITUTIONES,
ET
DECRETA
Ab Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domino
D. JACOBO MARIA DE ROSSI
Epiſcopo Maſſæ Lubrenſis
Nunc primùm edita
IN DIOECESANA SYNODO;
Quæ celebrata fuit
Die Viſitationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis
2. *Menſis* Julii *Anno Domini* 1725.
BENEDICTO XIII.
PONTIFICE MAXIMO.







ROMÆ; Ex Typographia Reverendæ
Cameræ Apoſtolicæ MDCCXXV.



SS. CATALDO EPISCOPO

Totius Diœcesis Tutelari

Amantissimo

JACOBUS MARIA DE ROSSI

Episcopus Massæ Lubrensis.



Ato quodam calamitoso alicui semper vitio conterminas inveniri virtutes, compertum sanè est. Nusquàm ab unius confinio se se ipsæ subducunt, quin ad alterius illicò fines accessum facere videantur. Metum omnem excutit Fortitudo, nihilque timet magis, quàm timorem; facilè tamen, dum humile formidinis litus, solicitasque syrtes, ac brevia refugit, altum tenens, insanis Audaciæ fluctibus obruitur. Nul-

lum. Prudentiæ imminet à Temeritate periculum, & aureum illius nitorem proxima nonnunquam Astutiæ macula deturpat. Quid plura? Adhæret Religionis lateri superstitio, premit Patientiam Stupor, Magnanimitatem Superbia sectatur; ac cujus flumen invenietur nullis interclusum ripis, dies nocti conterminus nulli, quàm Virtus ita ab omni vitiorum confinio remota, ut hostem propè non sentiat, ejusque non doleat, non timeat vicinitatem: Medium premit iter Virtus; quacumque deflexerit, in vitia ruat oportet. Auream probat illa mediocritatem, quam ubi transgreditur, in turpitudinis, noxæque fines prodita Virtute divertit.

Quæ cum ità sint, cum pomeridiana luce appareant clariora, ad Aras Tuas devolvor, Beatissime CATALDE, Tua ante Lipsana Pastoralis hanc meæ Curæ tesseram appensurus, Synodum Diœcesanam. Quidquid sanæ in ea doctrinæ, quidqnid Sanctitatis præscribitur, Divinæ propemodum Sapientiæ, à qua, veluti fonte purissimo, Conciliorum Canonumque emanant Jura, dogmata haudquaquam excurrit, quinimò syllabatim penè ex ipsis effluxit integra. Etenim si ad tractanda mentium gubernacula plurimi unicuique valet Divina moderatrix Sapientia, quanto quidem magis variis eadem effusa rivulis ad mites voluptatum illecebras eludendas, ad immites vitiorum turbines compescendos fas erit

Legum-

Legumlatori accedere ? Vereor tamen ; Sanctissime Præsul, vereor maximè, ne tanta offundatur animus caligine, ut minus intueatur, quæ propiora præsentes opes exposcunt : provideat, ubi longæva patet subsidii egestas. Hunc sanè metum & Pietati fovet propinqua laxitas, & integerrimæ censuræ crudelitas. Accedit subditorum amor, qui blandientis velut auræ sibilo rectissimam Justitiæ lancem detorqueat ad fædam vitiorum dissimulationem, fædissimam virtutum oblivionem. Hoc igitur est, quò mea collimant Vota in hac celebranda Synodo, Tibique sistenda, quòd illo me geram passu in ovibus meis præeundis ad Cælum, quo Tu Episcoporum lumen ad Supernæ Gratiæ dona præluxisti. Tandem fatiscentem hanc senectutem, quæ tot vexata calamitatibus, tot morbis confecta, iteratisque lapsibus obnoxia in Te uno nititur, ac requiescit, fælici, ac peramanti pietatis studio amplexare.



PRIMA

PRIMA DIOECESANA SYNODUS

Ab Illustriss., ac Reverendiss. Domino

D. JACOBO MARIA DE ROSSI

Patritio Ravennatensi Episcopo
Massæ Lubrensis

Celebrata die 2., & seq. Mensis Julii
Anno a partu Virginis 1725.

EDICTUM

INDICTIONIS DIOECESANAE SYNODI.

In Nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis
Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

JACOBUS ~~*Miseratione Divina*~~ *Episcopus Massæ Lubrensis, Universo Clero, & Populo sibi commisso Salutem in Domino.*



Olicitudo hujus Ecclesiæ, quæ longè meritis, ac viribus nostris impar est. Dei tamen voluntate ac providentia electi ab Anno 1702. 13. Kal. Aprilis, & idibus Octobris ejusdem Anni eamdem regimus, & gubernamus; In id præcipuè Nos maxima tenet cura intentos, ac vigiles, ut Episcopalis ministerii partes, quas quantum imbecillitatis nostræ est per plurimas Visitationes totius Civitatis, & Diœcesis implevimus, implere affatim possimus. In præsentiarum intimo animi sensu recolentes Sanctiones Sacrosancti Concilii Tridentini (a) quibus per Diœcesanam Synodum quolibet anno congre-

(a) *Sess. 24. cap. 2. de Refor.*

gregandum Subditorum mores corrigantur, & excessus, si qui devii sint ab itinere Salutis æternæ, ad rectam vivendi formam restituerentur, in tam ardua animi cogitatione versati sumus ut ejusmodi oneri humeris nostris imposito satis, quò ad fieri posset, & quàmprimum licuisset, faceremus; sed aliis distenti curis, aliis negotiis præpediti, etiam Vicariatus munere in Metropolitana Ecclesia Neapolitana, variisque litibus prò tuendo jure hujus Ecclesiæ, & annuis Visitationibus pro cultu, & decore augendo in ejusdem Altaribus, & Cappellis, ad quas plures accesserunt resolutiones in Congregatione instituta pro illarum cultus & decoris augmento, non valuimus tanto oneri satisfacere. Placuit tandem Omnipotenti Deo tam luculentum beneficium Dilectissimæ nostræ Civitati, ac Diœcesi usque ab Anno 1680. intermissum exhibere. Invocato igitur ejusdem Omnipotentis Dei auxilio, & Beatissimæ Virginis Mariæ, ac Divi Cataldi præcipui hujus Civitatis Patroni, aliorumque Sanctorum Tutelarium intercessione exorata, diebus secunda, & tertia Julii hujus præsentis Anni 1725. Synodum Diœcesanam indicimus, & in hanc Episcopalem Cathedralem Ecclesiam convocamus, ut præsentium tenore indictam, & convocatam esse denunciamus; & quæ erant emanatæ leges a Prædecessoribus nostris, in diversis Synodalibus Codicibus dispersæ, in præsentes complecteremur non paucis per Nos superadditis ad Animarum salutem, reductque Ecclesiasticæ Disciplinæ reformationem.

Ut autem omnibus, & singulis, qui de jure, vel consuetudine hujusmodi nostræ Synodo interesse tenentur, ejus celebratio innotescat, præsenti nostro Edicto dilectos Nobis in Christo filios Capitulum, & Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, Parochos, Rectores, Cappellanos, Præsbyteros, & Clericos Beneficiatos quoscumque, etiam in Minoribus, requirimus, monemus, hortamur; iisque etiam, & eorum singulis in virtute S. Obedientiæ, ac sub Excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis a jure, vel consuetudine in Synodis Diœcesanis ferri, & infligi consuetis, indicimus, mandamus, ac præcipimus, ut per semetipsos, & non per alios ipsorum nomine, nisi canonica ratio a Nobis, vel a Nostro Vicario Generali approbata impediat, cum decenti Clericali habitu, & superpelliceis mundis conveniant hora 11. matutina ad prædictam Cathedralem Ecclesiam; nec nisi peracta, atque absoluta Synodo, penitus discedant.

Hor-

Hortamur prætereà præfatos omnes, aliosque Ecclesiastici Ordinis tàm Secularis, quam Regularis, ut si quid in Domino corrigere, vel decernere prò suæ Conscientiæ, ac Prudentiæ dictamine visum fuerit, maturè ad Nos, vel Nostrum Generalem Vicarium scripto deferre non omittant, ut quod conducere videbitur, salubriter decernere valeamus. Et in Ecclesiis, tam Secularium, quam Regularium usque ad prædictam diem fiat in singulis Missis Collecta *de Spiritu Sancto*, ut tanti momenti rem Deo in Orationibus commendent, Nobisque adsit sui Divini Spiritus lumine, ut Civitas, & Diœcesis hæc salutaribus legibus, & admonitionibus erudita, fructus in Domino afferat uberiores.

Cujus rei gratià præsens Edictum manu nostra subscriptum ad valvas Ecclesiæ Cathedralis affigendum, ac promulgandum mandavimus, & ità affixum remanere, ut omnes & singulos, quorum interest, adeò afficiat, ac si cuilibet ipsorum fuerit personaliter denunciatum. Datum Massæ Lubrensis ex nostro Episcopali Palatio die 31. Maij 1725. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Benedicti Divina Providentia Papæ XIII. Anno secundo.

Jacobus Maria de Rossi Episcop.

Canonicus D. Franciscus Persicus pro Curia Act. Mag.

Eadem die, qua fuit promulgata Synodus, per Cantorem fuit ennunciata ejus celebratio in Cathedrali.

NOveritis Fratres Charissimi, quod, annuente Dei Misericordia, die secunda Julij, ad ejusdem Dei Omnipotentis, B. Mariæ Virginis, Sancti Cataldi, aliorumque Sanctorum hujus Ecclesiæ Patronorum laudem, Diœcesana Synodus habebitur. Piis igitur vestris precibus instate, dilectissimi, ut Civitas, & Diœcesis hæc salutaribus vitæ Christianæ institutis augeatur, & suffragantibus eorundem Sanctorum meritis, ex iis uberiores fructos in dies ferat in Domino: cui est honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

Eadem pariter die fuit evulgata Instructio, ut Clerus Paratus, & Instructior accederet, tenoris sequentis.

INSTRUCTIO AD CLERUM DE METHODO SYNODALI.

JACOBUS Miseratione Divina Episcopus Massæ Lubrensis.

INstante jam Synodali die, quæ secunda est mensis Julij, in quam primam nostram Synodum convocandam indiximus, omnibus & singulis, qui de jure, vel consuetudine ad eam accedere tenentur, ediximus, ut decenti habitu in Nostra Cathedrali adessent; nunc eosdem instruendos censemus, ut Clerus noster ad Synodales hujusmodi congressus, favente Domino, paratior conveniret.

Omnes, qui interesse debent, accedant cum vestibus talaribus, biretis, & superpelliceis mundis; Canonici, & Parochi cum eorum insignibus; singuli cum decenti tonsura.

Prima Synodi die ad aulam Palatii nostri accedant singuli, ut eorum comitatu præcedente, Canonicis verò Ecclesiæ nostræ Cathedralis subsequentibus, ad Ecclesiam descendamus: Quod in regressu ab eadem Ecclesia ultima die, sessionibus habitis pariter fiet.

Qui obtento Beneficio non dum in Synodo Fidei professionem emiserit, ferat secum schedulam, in qua scriptum sit ejus nomen, & cognomen, cum titulo Beneficii, unius, vel plurium, & Professione emissa illam tradat Synodi Notario.

Dum Clerus sigillatim vocabitur in fine ultimæ Sessionis, singuli vocati respondeant, *Adsum*, & obedientiam præstent, ut à Magistro Cæremoniarum fuerit eis insinuatum.

Ad Synodalem actionem hora 11. singuli sollicitè veniant, ac ordine consedeant a Magistris Cæremoniarum præscripto; Et tàm in incedendo, quàm in sedendo nullum præjudicium alicui inferatur.

A confabulationibus omninò abstineant, ne Synodales actiones perturbentur, maximè cum à Nobis, vel a suggestu aliquid pronuncietur, edicatur, aut legatur.

Omnes attenti sint, & quibus parendum sit, pareant, sedendo, stando, genuflectendo.

In Processione Synodum præcedente, quæ, ne tempus pro-

protrahatur, per ipsam Ecclesiam habebitur, Crux Capitularis præcedat; Clerici omnes etiam in Sacris, Parochi cum stola, ea, qua par est, devotione, ac modestia; capite aperto; hymnosque, & Psalmos a nostro Archidiacono incipiendos attentè canant, & devotè.

Prò excusationibus recipiendis, ac penes Acta Synodi admittendis, vel non, eorum, qui a Synodo excusantur ex legitimo impedimento, deputemus Nostrum Vicarium Generalem, cujus pariter erit super eorum, quos ex rationabili causa ab aliqua sessionali Actione abesse contigerit, excusationibus providere.

Caveant denique omnes & singuli, quæ minimè congruunt Ecclesiasticæ Disciplinæ, aut Synodalis Actionis Dignitati, locique venerationi. Hæc audentes peragere, vel singula eorum, quæ præscripsimus, prætermittere, pœnis ad Nostrum arbitrium, dum certiorati fuerimus, punientur. Datum Massæ Lubrensis ex nostro Episcopali Palatio die 31. Maii 1725.

Jacobus Ep. Massæ Lubrensis.

APERITIO SYNODI,

Et Descriptio Primæ Sessionis.

Post horam undecimam Illustrissimus Episcopus Cappa indutus, Clero Synodali anteà in aula sui Palatii recollecto, hoc ordine præcedente, scilicet Clericis omnibus, & Beneficiatis cum superpelliceis, Parochis cum stola, & Consultoribus Synodi, subsequentibus Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, ab eodem Episcopali Palatio ad ipsam Ecclesiam descendit; ubi porrecto ab Archidiacono aspersorio aqua benedicta, se primò aspersit, deindè Canonicos, & alios de Clero; cumque aliquantulum oraverit ante Sanctissimum Sacramentum, recessit ad Thronum, in quo dum assidet, Canonici parantur, & a Diacono; ac Subdiacono in Missa, paratur ipse Episcopus vestibus Pontificalibus, & cantatur Tertia a Musicis. Missa currentis diei licet sit de B Virgine, *quæ est titulus Ecclesiæ Cathedralis, & primæ classis, fuit tamen, quia Synodalis, dicta* de Spiritu Sancto.

 Post

Post Missam, ut opus tàm perutile cunctis innotesceret, à D. Francisco Antonio de Chiara Neapolitano habita fuit Panegyris, quæ in calce Præliminarium Actorum apponetur.

Interim fuit coordinata Processio etiam extrà Ecclesiam, præcedente Capitulari Cruce, sub qua omnes processerunt, & ipsi Canonici cum Episcopo, cantantes Hymnum, Veni Creator Spiritus, *& Psalmum* Exurgat Deus. *Deinde singuli petierunt loca disposita hoc modo: Inter Episcopi Thronum, & gradus, quibus ascenditur ad Majus Altare, faldistorium paratum; hinc indè scamna prò Canonicis, & in alio consederunt Synodi Consultores tàm Seculares, quam Regulares; post ipsos alia fuerunt disposita, in quibus prius Parochi, deindè alii de Clero, exclusis laicis ab ipso congressu sedebant. Ante faciem Throni in sede coriacea sedit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis, apud quem Notarius, Promotor, & Secretarius Synodi.*

Episcopus Missæ paramentis depositis usque ad Tunicellam inclusivè, & accepto Pluviali rubri coloris cum Mitra, & Baculo, ad Faldistorium in medio Clerici descendit, ibique sedentibus omnibus sedit. Diaconus sistens a dextris Episcopi versus Clerum cantavit, Orate; *Et Episcopus genuflexus sine Mitra inchoavit Antiphonam*, Exaudi Domine; *Psalmoque dicto*, Salvum me fac Deus, *Episcopus accepta Mitra ad Thronum recessit. Hinc iterum deposità conversus ad Altare recitavit Orationem*, Adsumus Domine, *ut in Pontificali. Post quam Orationem denuò cum Mitra ad faldistorium descendit, & una cum omnibus genuflexo, cantantur Litaniæ per duos Hebdomadarios. Ad verba*, Ut hanc præsentem Synodum, &c. *surgit Illustrissimus Dominus, & Synodo benedicta iterum procumbit usque ad Litaniarum finem, quibus expeditis stans in Throno dixit versus Altare Orationem*, Da quæsumus.

His peractis sedens cum Mitra incensum in thuribulum injecit, illudque more solito ministrante Præsbytero benedixit. Accepta verò de more benedictione duo Canonici Diaconali, & Subdiaconali veste induti unà cum Acolitis candelabra deferentibus, accesserunt ad locum solitum ad canendum Evangelium, convocatis Jesus, &c. *Stantibus omnibus, & post Evangelium fuit thure donatus a Præsbytero assistente.*

Post hæc sine Mitra genuflexus versus Altare, inchoavit elata voce Hymnum, Veni Creator Spiritus, *prosequente Clero: quo expleto, & resumpta Mitra sedit sedentibus omnibus cum silentio*

lentio, itàque ex Pontificali Clerum alloquitur : Venerabiles Confacerdotes, &c. *Dominus Vicarius Generalis accessit ad Illustris., & Reverendiss. Dominum, cui facta debita reverentia obtulit, & Sacrosancti Tridentini Concilii Codicem, & praliminaria Synodi Decreta, quæ fuerunt ab eodem Illustrissimo Domino tradita Secretario, qui illis acceptis, duobus comitantibus Acolitis, in suggestum ascendit, & alta voce sequentia Decreta denunciavit; in hoc verò primo stetit detecto capite.*

DECRETUM PRIMUM.

De Synodi inchoatione.

In nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, PATRIS, FILII, & SPIRITUS SANCTI.

NOS Jacobus Miseratione Divina, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus, Massæ Lubrensis. Ad Dei Omnipotentis, ac Deiparæ semper Virginis Mariæ, S. Cataldi hujus prædictæ Civitatis præcipui Patroni, aliorumque Sanctorum Tutelarium laudem. Primam hanc nostram Diœcesam Synodum incipimus, & incœptam esse volumus. Faxit idem Omnipotens Deus, prò sua Misericordia, & precibus Beatæ Virginis, dictorumque Sanctorum, ut omnes ex hoc Sacro cœtu lumen & Spiritum referamus ad peragenda quæcumque sancita sunt secundum Dei voluntatem, eademque in posterum exequamur.

DECRETUM SECUNDUM.

De modo vivendi tempore Synodi.

QUia Ecclesiasticis omnibus aliud ex Divinis Literis,& monumentis non commendatur, quàm vitæ integritas, innocentia morum, Fides, & Pietas, Religio, aliæque virtutes, quæ ornamenta sunt, quibus Domus Dei maxime,

ac

ac præcipuè excolitur ; ideò Clerum hic præsentem Coronam hujus Sanctæ Ecclesiæ in Domino monemus, ut sicuti semper, ita & in posterùm verbo, & exemplo præluceat ad omnium virtutum splendorem.

DECRETUM TERTIUM.

De Ministris Synodalibus.

UT Synodus hæc juxtà Sacrum Concilium Tridentinum convocata suos habeat Ministros, quibus dirigatur, constituimus, & deputamus suos Officiales, qui sequuntur.

OFFICIALES SYNODI.

Promotor *D. Franciscus Persicus Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.*

Secretarius *D. Vincentius de Turri.*

MAGISTRI CÆREMONIARUM.

D. Simon de Romanis.
D. Xaverius de Martino.
D. Franciscus Maria de Turri.

Quibus omnes obediant.

Notarius, *Joannes de Antonio Notarius Apostolicus.*

Æconomus prò directione in futurum Eccl. Cathedr. *D. Antonius Cuomo Canonicus.*

DECRETUM QUARTUM.

De Præjudicio non inferendo.

SI cui contigerit suo loco non sedere, nec incedere, aut vocari, nec aliquid aliud agere, nullum præjudicium illatum, aut novum jus acquisitum decernimus, sed omnia in eo statu permanere, in quo ante hanc præsentem Synodum reperiebantur.

DE-

DECRETUM QUINTUM.

De non discedendo.

OMnes, qui in hac Synodo interesse debent sub pœna Excommunicationis ab eadem non discedant, antequam ipsa de more dimissa, & absoluta non fuerit, & benedictione nostra impertita; In Synodalibus actionibus, sessionibus, & conventibus sint omnes, qui de jure tenentur sub eadem pœna excommunicationis, nisi fuerit a Vicario nostro Generali elargita facultas.

DECRETUM SEXTUM.

De Querelis deferendis, & absentium excusationibus.

JUbent antiqui Canones, querelas, & controversias, si quæ sint, audiri, & supplices examinari libellos prò excusatione absentium. Proindè deputamus Vicarium nostrum Generalem, aliosque Synodales Judices, qui prò ut de jure, brevi tamen forma judicii adhibità, illas dirimant, has dijudicent citrà præjudicium ambarum partium, reservatà Nobis facultate, durante prædicta Synodo, ad nos ejusmodi causas avocandi.

DECRETUM SEPTIMUM.

De Oratione publica.

QUoniam veteris est instituti in Synodali conventu prò publicis rebus orationem fieri: idcircò in omni, prò ut etiam in Sacrificio Missæ Oratio ad Deum habeatur prò Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIII., pro Ecclesiæ Catholicæ Romanæ tranquillitate, prò Augustissimo Imperatore Electo, & Catholico Rege nostro Carolo; pro Cleri, & Populi hujus Civitatis profectu, ac salutari hujus Synodi eventu, ejusque Decretorum perfecta executione.

His

His lectis Dominus Canonicus Synodi Promotor in sua habitu Diaconali accessit ad Illustrissimum Episcopum, ac profundè inclinatus institit prò lectione Decretorum Tridentini, De Fidei Professione, & Residentia.

Illustrissime, ac Reverendissime

PATER, ET DOMINE:

SAcrosancta Tridentina Synodus Sess.25.c.2.de Refor.præcipit, ut omnes, qui Diœcesanæ Synodo interesse debent, & beneficia Ecclesiastica assecuti fuerint, Fidei professionem emittant primo tempore, quo illa habebitur; Nec non Decreta de Residentia publicentur; ideò Ego Canonicus D.Franciscus Persicus hujus Synodi Promotor submissè peto, ut illæ sanctiones publicè perlegantur, & ad præscriptum earum ab iis, qui tenentur, omnia & singula obedienter præstentur.

Illustrissimus, ac Reverendissimus respondit. Legantur.

Dominus Secretarius de mandato Illustrissimi ac Reverendissimi legit Decretum de Professione Fidei *sess.25.cap.2.a §.*Cæteri vero, *& Decretum de* Residentia *Sess.23.c.1.*

Illustrissimus, & Reverendissimus in hac sua prima Synodo Diœcesana eandem professus est genuflexus in suo Faldistorio, Canonicis, Diaconis, & Præsbytero Assistentibus, primoque Diacono ante eum Evangelium tenente prò juramento præstando, stantibus prò reverentia cæteris de clero: his verbis.

Ego Jacobus Maria de Rossi Episcopus Massæ Lubrensis promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo, & juro juxtà professionis Fidei formulam ex Bulla fel. record.Pii Papæ IV. *Singula singulis referendo.* Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Post hæc ascendit ad suum Thronum, & de ejus mandato lecta Fidei Professione a Secretario stante, accesserunt ad ipsum Illustrissimum Dominum omnes Domini Canonici bini, & bini genuflexi, sicut Parochi, & alii Beneficiati, modo sequenti professionem Fidei emiserunt.

Ego N. N. Spondeo, voveo, & juro: sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.

Institit

Instit postea Promotor pro electione Judicum, Examinatorum, & Testium Synodalium.

Illustrissime, ac Reverendissime

PATER; ET DOMINE!

TRidentinum Concilium Constitutioni inhærens Bonifacii VIII. decrevit, ut in Diœcesana Synodo eligantur viri, qui Personatu, vel Canonicatu Cathedralis Ecclesiæ fulgeant, quibus præter locorum Ordinarios causæ Ecclesiæ & Spirituales ad forum Ecclesiasticum pertinentes per Apostolicæ Sedis literas, aut Legatos committantur. Jubet etiam, ut eligantur, & deputentur Examinatores singulis annis, sex ad minus in Diœcesana ipsa Synodo, ut in Parochialium Ecclesiarum vacatione tres ipsorum ab Episcopo eligendi examen instituant, & perficiant: Nec non eligantur oportet Viri probatæ vitæ in Testes Synodales, juxtà præscriptum Sacrorum Canonum. Idcircò Ego Canonicus D. Franciscus Persicus Synodi Promotor humillimè peto, ut à Dominatione Sua Illustrissima, & Reverendissima proponantur tot personæ, & quales postulant Constitutiones prædictæ ad omnia peragenda, & quas hæc Sancta Synodus deligere queat.

Secretarius de mandato Illustrissimi, & Reverendissimi legit.

DECRETUM OCTAVUM.

De Judicibus Synodalibus.

UT hujusmodi Decreta, & Constitutiones observentur Vobis proponimus hos, & Dignitates hujus Nostræ Cathedralis Ecclesiæ, & Jurisconsultos, quibus causæ per Sedem Apostolicam delegari possint, & judicari, donec Synodus habeatur.

JUDICES SYNODALES.

Admodum Illustrissimus, & Rewererdissimus Dominus D. Ioseph Persicus Cantor Cathedralis Ecclesiæ, & Vicarius Generalis.

D. Salvator Persicus Sacræ Theologiæ Doctor Archidiaconus.

D. Michael Vinaccia Sacræ Theologiæ Professor, Primicerius, & Pœnitentiarius.

D. Ioseph de Conciliis V.I.D.

D. Philippus de Turri V.I.D.

D. Ioseph della Martina V. I. D. Protbonotarius Apostolicus, & Canonicus Collegiatæ S. Ioannis Majoris Neapoli.

D. Ioannes Persicus V.I.D.

Secretarius Synodi rogavit per verbum Placent ne vobis? *Responderunt*, Placent.

DECRETUM NONUM.

De Examinatoribus Synodalibus.

TRidentini ergò Decretum. Nos volentes exequi pro hac Nostra Diœcesi; Vobis hos Viros pietate, ac doctrina præstantes proponimus, qui Examinatorum hoc munus gerant, quo ad altera Synodus habebitur.

EXAMINATORES SYNODALES.

Admodum Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus D. Ioseph Persicus Cantor Ecclesiæ Cathedralis, & Vicarius Generalis.

D. Salvator Persicus Sacræ Theologiæ Doctor, Archidiaconus.

D. Mi-

D. Michael Vinaccia Primicerius, & Pœnitentiarius.

D. Nicolaus de Marino Canonicus, & Parochus Ecclesiæ Cathedralis.

D. Antonius Cacace Parochus Casalis Torchæ.

D. Ludovicus della Martina Parochus Casalis Monticuli.

D. Nicolaus de Simone Parochus Casalis Termini Sacræ Theologiæ Professor.

D. Franciscus Tizzanus Parochus Casalis S. Agatæ.

D. Philippus de Turri V.I.D.

D. Franciscus Antonius de Chiara Neapolitanus in Synodo Theologus, & Consultor.

D. Joannes Persicus V.I.D.

D. Joseph della Martina V.I.D., Prothonotarius Apostolicus, & Canonicus Collegiatæ S. Joannis Majoris Neapoli.

D. Alphonsus Moscetta V.I., ac Sacræ Theologiæ Doctor, & Magister, ac Prothonotarius Apostolicus.

D. Christophorus Scoppa.

D. Joseph Morvillus.

P. Franciscus Pallavicino Rector Collegii Societatis Jesu.

P. Joannes Baptista à Surrento Guardianus Ordinis Minorum de Observantia.

P. Pius del Gaudio Corrector Ordinis Minimorum Sancti Faancisci de Paula.

P. Leopoldus à S. Theresia Vicarius Desirti, Ordinis Theresini.

Secretarius Synodi rogavit per verbum, Placent ne Vobis? *Responderunt*, Placent.

DECRETUM DECIMUM.

De Testibus Synodalibus.

EST veteri Sacrorum Canonum instituto sancitum, ut in Synodis Diœcesanis Viri aliquot & integritate, & vita, & probitate deligantur, qui diligenter animadvertant, an aliquid in Civitate, & Diœcesi fit, quod corrigi debeat; & si quid tale dignoverint, Nobis, vel nostro Vicario Generali significent. Nos igitur vetus hoc probatissimum institutum imitari volentes, Viros nominamus, quorum nomina, ut quod ipsis incumbit, liberius agant, in hac schedula nostro sigillo munita (*Secretarius illam Synodo ostendit*) dignis de caufis reticentur.

Deinde idem Secretarius subdidit.

Accedant ad Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Examinatores electi, & genuflexi ex præscripta forma jusjurandum præstent. Testes autem jurabunt secretò in manibus Illustrissimi, & Reverendissimi Domini, vel ejus Vicarii Generalis.

Ego N.N. Examinatoris officium, quod suscipio, spondeo, voveo, ac juro, me fideliter, ac sincerè, quantum in me erit, executurum, quacumque humana affectione postposita. Sic me Deus adjuvet, & hæ Sanctorum Reliquiæ.

DECRETUM UNDECIMUM.

De Juramento præstando ab Absentibus.

EXaminatores per Nos nominati, & deputati, si in Synodo ex præscripto jusjurandum non præstiterunt, illud præstent, prout eisdem Dominus Vicarius Generalis demandaverit.

Propter horæ tarditatem de suggestu Secretarius indixit continuationem Sessionis post Completorium, his verbis.

Illustrissimus, & Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus D. Jacobus Maria de Rossi Episcopus Massæ Lubrensis, & in hac Diœcesana Synodo Præsidens indicit continuationem Sessionis hodie hora vigesima Vespertina, ac propterea

tereà monentur omnes, & finguli ad illam convenire.

Promotor itaque accerfito Notario contrà contumaciam abfentium inftitit.

Illuftrifsime, & Reverendifsime

PATER, ET DOMINE.

JAM dies fecunda Menfis hujus Julij præfentis Anni 1725. advenit, qua die omnes, & finguli Ecclefiaftici hujus Civitatis, & Diæcefis ad præfcriptum Sacrorum Canonum, Concilli Tridentini, hujufque Diœcefis confuetudinis Synodo huic adeffe debent; cumque multi per edictum certiores facti non paruerint, & ufque adhuc vel negligentes, vel contumaces fuerint, adeò ut neq; præfentes, neq; jufti impedimenti excufationem, caufam, aut nuncium miferint. Ideò prò mei muneris officio Ego D. Francifcus Perficus Synodi Promotor eorum accufo contumaciam, & infto apud Dominationem veftram Illuftriffimam, ut citatio Valvis hujus Ecclefiæ Cathedralis affigatur, & cum iifdem tanquam inobedientibus agatur, prout Juris, & Sacrorum Canonum ratio poftulat.

Refpondit Epifcopus: Ità decernimus, & jubemus.

Tum ad Notarium converfus Promotor inftitit prò rogitù actorum.

Ego D. Francifcus Perficus Canonicus Synodi Promotor rogo te Joannem de Antonio Synodi Notarium, ut de omnibus & fingulis in hac Seffione peractis unum, vel plura conficias inftrumenta.

Refpondit Notarius: Conficiam præfentibus N. N. infcriptis.

Hac omnia fuerunt acta in publica Seffione adhibitis prò teftibus.

DECRETUM DUODECIMUM.

De Difceffu.

NUllus a fuo loco difcedat, antequam Illuftriffimus, & Reverendiffimus Dominus e Synodo abierit, & in difceden-

scedendo non fiat raptim, sed gravi & decoro incessu.

Tandem Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus depositis Pontificalibus, data prius de more benedictione, induit Cappam, & facta brevi Oratione in Faldistorio ascendit ad Suum Palatium cum Canonicis.

CONTINUATIO PRIMÆ SESSIONIS:

Horà Vespertina.

IN Throno accepit Episcopus Amictum, Stolam, Pluviale, Mitram, ubi etiam Canonici parati sunt vestibus, uti de mane. Surgit Illustrissimus, & dicta Oratione versus Altare, ut in Pontificali, Adsumus, &c., *omnibus sedentibus, Dominus Promotor antè Illustrissimum profundè inclinatus institit, ut infrà.*

Illustrissime ac Reverendissime

PATER, ET DOMINÆ:

UT executioni demandentur hujus Synodi Decreta, monita, & sancita ad hujus Ecclesiæ rationem benè gerendam; Ego D. Franciscus Persicus Canonicus, & Promotor ab Illustrissima Dominatione Tua peto, atque insto, omnia promulgari de Suggestu, ut Instructior Clerus evadat ad illa in perpetuum observanda.

Illustrissimus Dominus respondit: Prómulgari jubemus.

Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis detulit Decreta Synodalia Illustrissimo Domino, quibus receptis Idem ea tradidit Domino Secretario, qui in suggestum ascendit, & ea legit paulatim usque ad titulum De celebratione Missarum.

Quibus lectis de mandato Illustrissimi Domini alteram indixit Sessionem scilicet.

Illustrissimus, & Reverendissimus in Christo Pater & Dominus D. Jacobus Maria de Rossi Dei & Apostolicæ Sedis gratià Episcopus Massæ Lubrensis in hac Diœcesana Synodo

Piæ.

Præſidens, cum ea omnia, quæ peragenda erant, anguſtiâ temporum in hac Prima Seſſione perſolvi non potuerint, aliam decernit Seſſionem in proximam ſequentem diem, quæ erit tertia præſentis Menſis, & propterea tenentur omnes, & ſinguli ad illam convenire.

Deindè Promotor accerſito Notario contra contumaciam Abſentium inſtitit.

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime

PATER, ET DOMINE.

JAM ſecunda dies advenit hujus Menſis Julii, in qua omnes, & ſinguli Eccleſiaſtici cujuſcumque Ordinis hujus Civitatis & Diœceſis ad præſcriptum Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini huic Synodo certiores facti adeſſe debent, cumque multi non paruerint, & uſque adhuc vel negligentes, vel contumaces juſti impedimenti excuſationem nec per nuncium miſerint; Ideò Ego Canonicus D. Franciſcus Perſicus hujus Synodi Promotor eorum contumaciam accuſo, atque inſto apud Dominationem Suam Illuſtriſſimam, Valvis hujus Eccleſiæ Cathedralis Citationem affigi, & prò ut juris eſt, & Sacrorum Canonum, in ipſos tanquam inobedientes agi.

Reſpondit Epiſcopus. Ita decernimus & jubemus.

Tum ad Notarium converſus Promotor inſtitit pro rogitu Actorum.

Ego D. Franciſcus Perſicus Canonicus, & Synodi Promotor rogo te Joannem de Antonio Notarium Synodi, ut de omnibus, & ſingulis in hac ſeſſione peractis unum, vel plura conficias inſtrumenta.

Reſpondit Notarius: Conficiam præſentibus N.N. in ſcriptis.

Hac omnia fuerunt acta in publica Seſſione adhibitis pro teſtibus.

Quibus peractis Unus ex Hebdomadariis cum pluviali rubro in ſuggeſtum aſcendit, & cantavit: Omnibus in ſuis locis genuflectentibus, etiam Epiſcopo in ſuo Faldiſtorio cum Mitra.

ORA-

I.

FRatres Chariſſimi, corporibus proſtrati, mentes ad Cœlum erigamus; & invocatis Deiparæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, præſertim Sancti Cataldi, aliorumque Patronorum noſtrorum patrociniis, ut Dominus peccatorum Noſtrorum veniam concedat, negligentiis indulgeat, ignorantiæ parcat, errata omnia condonet, quæ in Clericali diſciplina, & in officiis Sacerdotalibus multiplici errore commiſimus.

I I.

ORate unanimes pro Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto Papa XIII., ut Sanctam Eccleſiam ſanctè gubernet cum Sacro Cardinalium Collegio; & Omnipotens Deus Catholicam Romanam Eccleſiam toto Terrarum Orbe diffuſam conſervet, defendat, augeat, exaltet ad honorem, & gloriam ſuam.

I I I.

ORate unanimes, ut bonum, quod in Nobis ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſs. Domino Antiſtite Noſtro tam incenſo Charitatis ſtudio, & officio requiritur, alacriùs exequamur, & propterea ea ſolicitudine gradientes dignè ambulemus in vocatione, qua vocati ſumus; Spiritualibus etiam augmentis amplificetur, & divino Spiritu illuſtratus unà cum ſuis adjutoribus, ac Miniſtris laborum ſuorum a Deo benedictionem largiſſimam conſequatur, & cum Grege ſuo vitam æternam.

Surrexit poſt hæc Illuſtriſſimus Dominus, & de more in ſuo Throno abſque indulgentiis Clero genuflexo ſolemniter benedixit: Indè cum Cappa diſceſſit, ad proprias Domos abeunte Clero.

SE-

SECUNDA, ET ULTIMA SESSIO

Die 3. Mensis Julij ejudem Anni.

Clero in Ecclesia expectante, post horam undecimam ad Cathedralem se recepit Illustrissimus Dominus Cappa indutus cum Capitulo; aqua aspersione, & precibus ante Sanctissimum Sacramentum, & Altare Majus persolutis, celebravit Missam planam de Sanctissima Trinitate cum Oratione prò gratiarum actione sub unica conclusione; Omnibus Canonicis paratis paramentis rubri coloris, qua & ipse Episcopus post Missam reassumpsit in Throno, & descendens ad Faldistorium intonavit Antiphonam, Exaudi Domine: *& cantato Psalmo*, Salvum me fac, *Illustrissimus subjunxit Orationem*, Ad te Domine, *ex Pontificali; & benedicto incenso, & de more à Diacono obtenta benedictione cantavit ipse Diaconus Evangelium*, Si peccaverit inte Frater tuus, *ex eodem Pontificali, quo cantato fuit thurificatus Dominus Episcopus stans cum Mitra, qua depositâ versus Altare intonavit Hymnum*, Veni Creator Spiritus; *quo expleto assumpta Mitra sedit sedentibus omnibus, & alloquitur à Pontificali*: Venerabiles Consacerdotes, &c.

Dein institit Promotor.

Illustrissime ac Reverendissime

PATER; ET DOMINE.

Cum ea, quæ incepta sunt, huic Civitati, & Diœcesi perutilia sint, & præ temporis angustia absolvi non potuerint; Ego Canonicus D. Franciscus Persicus hujus Synodi Promotor peto, & suppliciter insto, lecturæ cursum continuari.

Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit: Continuetur.

Et Secretarius Decretis acceptis legit ea usque ad finem tituli de Vita & honestate Clericorum: quibus lectis de mandato Illustriss., & Reverendiss. Domini alteram indixit Sessionem, scilicet

Illustrissimus, & Reverendissimus in Christo Pater &

& Dominus D. Jacobus Maria de Rossi Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Massæ Lubrensis in hac Diœcesana Synodo Præsidens indicit sessionis continuationem hora vigesima. Proptereà monentur omnes, & singuli ad illam convenire, ut præter ea, quæ remanent Decreta legenda, fiat nominatio Cleri, qui & reverentiam & obedientiam exhibeat eidem Illustrissimo, & Reverendissimo Domino.

Deindè Promotor Synodi instetit accersito Notario contra absentes contumaces, & prò rogitu (ut heri) de accusandis contumaciis.

Quibus peractis Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus solemniter benedixit Clero genuflexo absque Indulgentiis, qua benedictione data discessit cum Cappa, & Clerus pariter cum gravitate & decore.

CONTINUATIO SECUNDÆ, ET ULTIMÆ SESSIONIS.

Horà Vespertinà.

Horà indicta & dato Campana signo omnes, ut heri, ad Cathedralem se receperunt: ad quam pariter Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus cum Cappa deductus a suo Capitulo, & facta de more sibi, & Capitulo aspersione aqua benedictæ oravit ante Sanctissimum Sacramentum, & Altare majus. Indè in Throno acceptis vestibus Pontificalibus, aliis suas etiam Canonicis, Diaconus assistens a dextris cantavit; Orate, *& omnibus genuflexis post modicum temporis Dominus Episcopus surgens recitavit Orationem versus Altare,* Adsumus, *ex Pontificali; deindè sedentibus omnibus Promotor Synodi instetit prò lectionis conclusione.*

Illustrissime, ac Reverendissime

PATER, ET DOMINE.

Quia remanent multa Decreta legenda, maximèque ad Clericos pertinentia prò Synodalis hujus Actionis coronide:

ronide: ideo ut finem tàm pio, tam salubri operi demus, instanter rogo Dominationem tuam Illustrissimam, ut quod reliquum est perlegi, decernere dignetur.

Illustrissimus respondit, Legatur.

Secretarius acceptis Decretis, ut suprà, prosecutus est lectionem à Titulo de Tertiariis, & Bizochis *usque ad finem: qua completa Capitulum, & totam Synodum rogavit, num ea omnia Decreta lecta placuerint, his verbis;* Placent ne vobis DD. Dignitates, Canonici, Hebdomadarii, & tota Synodus quæ hactenus Decreta, & constituta sunt?

Responderunt, Placent;

His peractis Promotor Synodi institit prò vocatione Cleri, & Cathedratico solvendo.

Illustrissime; ac Revererendissime

PATER, ET DOMINE:

SAncitum est à Conciliis Generalibus, & præcipuè à Concilio Tridentino, ut omnes Ecclesiastici, qui de jure & consuetudine Synodo Diœcesanæ quotannis celebrandæ, etiam exempti, interesse debent, pœnas sancitas a Sacris Canonibus, si negligentes fuerint, incurrant; propterea Ego Canonicus D. Franciscus Persicus Synodi Promotor a Dominatione Illustrissima, ac Reverendissima peto, ut jubeas a suggestu omnes publicè vocari, & successivè Cathedraticum jure Diœcesano debitum persolvi.

Illustriss. & Reverendiss. Domin. respondit, Vocari jubemus.

Et Secretarius de suggestu legit.

Vocentur omnes, & singuli de mandato Illustrissimi, & Reverendissimi Domini D. Jacobi Mariæ de Rossi Episcopi Massæ Lubrensis in hac Synodo Diœcesana Præsidentis, qui jure, vel consuetudine præsentes esse debent in hac prædicta Diœcesana Synodo; qui omnes vocati, & respondentes per verbum, *Adsum*, ad Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum aperto capite genuflexi accedant, exceptis Canonicis, & reverentiam, atque obedientiam exhibeant, ac versus Altare majus recedentes ad propria redeant loca, neque discedere audeant, nisi Synodo, aliisque cæremoniis absolutis.

Post hac per Notarium Synodi fuerunt vocata Dignitates, &

Canonici hujus Cathedralis Ecclesiæ, & Illustrissimo Domino in Throno sedenti profundè inclinati reverentiam, atque obedientiam præstiterunt. Post Canonicos Hebdomadarii, deindè Parochi, Beneficiati cum tit., Sacerdotes omnes, & Clerici.

Promotor Synodi institit contrà Absentes contumaces.

Illustrissime, ac Reverendissime

PATER, ET DOMINE:

EX iis, qui juxtà Sacrorum Canonum dispositiones Diœcesanæ Synodo interesse tenentur, multi nullo jure, nullaque adhibita excusatione absunt, & pluries in his Sessionibus contumaces effecti sunt; & ad præsens vocati neque præsentes adsunt, neque justi impedimenti, vel excusationem, vel causam, vel nuncium miserunt. Quapropter Ego Canonicus D. Franciscus Persicus hujus Synodi Promotor, eorum accuso contumaciam, atque insto apud Illustrissimam, & Reverendissimam Dominationem suam, ut illos tanquam inobedientes, & contumaces pœnis per eosdem Sacros Canones constitutis mulctandos decernat, cum affixione cedulonum in valvis hujus Ecclesiæ Cathedralis.

Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit: Ità decernimus, & jubemus mulctandos, etiam cum affixione Cedulonum in valvis hujus Ecclesiæ Cathedralis.

Et Mitra deposita stans versus Altare legit Orationem: Nulla est Domine, &c.; *qua expleta Promotor Synodi institit prò Synodi dimissione.*

Illustrissime, ac Reverendissime

PATER, ET DOMINE:

OMnia & singula, quæ agenda, & pertractanda erant in hac Diœcesana Synodo ad optatum finem, Dei auxiliante gratia, perducta sunt. Ideò à Dominatione Sua Illustrissima Ego Canonicus D. Franciscus Persicus hujus Synodi Promotor peto, si ità videbitur, Synodum concludere, & cum paterna benedictione ad propria omnes dimittere.

Secretarius de suggestu legit de mandato Illustrissimi, & Reverendissimi Domini.

DE-

DECRETUM ULTIMUM.

De Synodi Demissione.

NOS Jacobus Maria de Rossi, utriusque Juris, & Sacræ Theologiæ Doctor, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Massæ Lubrensis, & in hac Diœcesana Synodo Præsidens.

Ad Laudem Dei Omnipotentis, Beatissimæ Virginis Mariæ, Sancti Cataldi præcipui nostræ Civitatis, & Diœcesis Patroni, aliorumque Sanctorum decernimus. Primam hanc nostram Diœcesanam Synodum sub eorundem auspiciis in his diebus legitime congregatam, dimissam, & absolutam esse, ac proptereà cuilibet post nostram benedictionem Episcopalem licitum esse ad proprias Ecclesias, suaque loca regredi. Hortamur tamen omnes Vos, Fratres Filiique Dilectissimi, ut tales Vos in Ministerio vestro præbeatis, quales exquirunt mores, Vitæ innocentia, et Zelus salutis Animarum; sitis lux in Populo, ut sic ille intelligat ab hac Synodo fructum Vos non mediocrem reportare, uti speramus, si in omni opere vestro in posterum cæteris prælucere studeatis, et in omni parte Ministerii Vestri diligentiam adhibeatis.

Promotor Synodi instetit prò rogitu Actorum, ut heri.

Illustrissime, ac Reverendissime

PATER, ET DOMINE.

UT autem omnium Decretorum, quæ Divina favente gratia in hac Diœcesana Synodo Massæ Lubrensis, Præsidente Illustrissima sua Dominatione, acta sunt ad Dei Omnipotentis gloriam, nec non Animarum Salutem, legitimum testimonium in omni futuro tempore habeatur: Ego Canonicus D. Franciscus Persicus hujus Synodi Promotor humiliter insto mandari Joanni de Antonio Notario ejusdem Synodi, ut publicum et solemne de his actionibus Synodalibus, ut moris est, instrumentum conficiat.

Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit: Instrumentum conficiatur.

Et Synodi Notarius præsens respondit. Promptus sum.

Quibus

Quibus omnibus expletis, Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus intonavit hymnum: Te Deum laudamus, *tota Ecclesia ovante, & Clero prosequente. Quo expleto Cantor in Pulpito cum cantu proposuit, ut heri, quæ sequuntur, capita orationis mentalis.*

ORATE I.

FRatres Charissimi toto cordis affectu prò Serenissimo, & Catholico Rege Nostro Carolo Tertio, ut ipsi prosperum felicemque rerum successum Divina Benedictio concedat, & cui multarum gentium dedit gubernationem, tribuat arma cœlestia, quibus & hostium conatus, & monstra evitet vitiorum.

I I.

ORate unanimes prò temporalibus Principibus, ac Rectoribus, ut cum pace ac populorum salute munus exequantur, recta semper sentiant, & operentur, Ecclesiæ se defensores præbeant, ac mereantur assequi vitam æternam.

I I I.

ORate unanimes, ut Deus spiritum religiosæ observantiæ det omnibus Viris Regularibus hujus Diœcesis ad eorum salutem, & Populi ædificationem, in quo Deus misericors fidem conservet, pietatem augeat, culpas eliminet, terræque fructus abundanter indulgeat, atque ab eo flagella suæ iracundiæ, omnesque calamitates, & terræmotus dignanter avertat: Pacem quoque concedat, ut ad ipsum, qui via, veritas, & vita est, valeat pervenire; Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Quibus finitis Episcopus sedit, & excepit omnes Primò Canonicos, deindè alios de Synodo ad osculum pacis. Postbac cum Mitra de Throno dedit Clero genuflexo solemnem benedictionem; & fuerunt publicata Indulgentia per Dominum Archidiaconum; & Dominus Canonicus Primus Assistens a dextris Episcopi cantavit: Recedamus in pace: *& tota Synodus respondit:* In nomine Christi. Amen.

Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus depositis Pontificalibus discessit cum Cappa, & toto Clero, usque ad Palatium eo modo & forma, qua prima Synodi die eductus fuit ad Ecclesiam Cathedralem.

RO-

ROGITUS ACTORUM

IN Dei nomine Amen. Præsenti publico instrumento cunctis pateat evidenter, & notum sit, qualiter Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo vigesimo quinto, die verò secunda Mensis Julii, festo Visitationis B. MARIÆ Virginis. Regnante Sanctissimo in Christo Patre, & Domino Nostro BENEDICTO XIII.

Massa Lubrensis in Cathedrali Ecclesia, Præsidente Illustrissimo, & Reverendissimo Domino D. Jacobo Maria de Rossi, ac præsente Reverendissimo Capitulo, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ, universoque Clero totius Diœcesis ibidem ad Synodum Diœcesanam celebrandam per Edictum respectivè vocato, ac legitimè congregato, post Processionem, & Missam Pontificalem, ac Sermonem a Reverendò Domino D. Francisco Antonio de Chiara Neapolitano habitum, omnia, & singula in actis suprascriptis redacta, & fideliter enarrata, gesta, atque peracta fuere, nec non per Rev. Dominum D. Vincentium de Turri Synodi Secretarium alta, & intelligibili voce è suggestu lecta, & publicata fuere primùm Decreta Synodi præliminaria, utpotè De Synodi inchoatione, ac reliquis; pro ut in eisdem Actis; ac etiam lecti, designati, & deputati fuere Examinatores, ac Judices, nec non Testes Synodales, & si hi suppresso nomine; emissaque Fidei Professio ab omnibus, & singulis, qui eam emittere tenebantur: atque continuata Sessione post Vesperas ejusdem diei per eumdem Synodi Secretarium D. Vincentium de Turri promulgata fuere Decreta, & Constitutiones Synodales, usque ad finem primæ Partis. Die verò sequenti tertia ejusdem Mensis Julij, ac secunda Sessione Synodali, Missa celebrata, aliisque Sacris Precibus, ac cæremoniis persolutis, idem Dominus Secretarius prosecutus fuit lectionem, usque ad finem secundæ Partis Decretorum, Sessioneque post Vesperas continuata deventum fuit usque ad finem tertiæ Partis, post quam & alia præscripta in actis ritè celebrata, per eundem Dominum Secretarium D. Vincentium de Turri publicatum fuit Decretum De Synodi Dimissione factaque Cleri vocatione, ac obedientia exhibita Illustrissimo, & Reverendissimo

dissimo Domino, cum ejusdem benedictione, Synodus dimissa fuit cum gratiarum actione per Hymnum, Te Deum laudamus, *caterasque preces, ac caremonias prascriptas. Postremò Synodalibus Constitutionibus acceptatis supplici, & breviori libello aliqui tàm de Clero, quàm de Populo obsecrarunt Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum, ut prò Sua ergà Filios benevolentia, totiusque Diacesis ad observanda Statuta prasentia majori alacritate, vellet obscuriora quadam explicari, aliaque perpauca ad ultimam limam expoliri, juxtà Decretum secundum ultimi Capitis Partis Tertia; Quibus nulla interposita mora ab Amantissimo Animarum Parente satisfactum est, & impositum ab Eodem fuit elata, atque intelligibili voce honorificum onus Admodum Reverendo D. Francisco Antonio de Chiara Neapolitano, cui non sine liquida animi voluptate semel, atque iterum Leges tàm perutiles perlustranti, easque ad Sacrorum Canonum exemplar conformanti id absolutè, id feliciter assequi visum est, ut adhibito Synodalium Patrum consilio tùm Optimi Patris decorem, tùm filiorum vota expleverit, decreta omnia ad prasentem trutinam reducendo. Super quibus omnibus instante Domino D. Francisco Persico Canonico prafata Ecclesia, ac Synodi Promotore petitum fuit, ut tanquam Synodi Notarius unum, vel plura, publicum, seu publica conficere, atque tradere deberem instrumentum, seu instrumenta, prò ut opus fuerit, & rogatus ero. Actum ibidem, anno, diebus, & Pontificatu, quibus suprà. Prasentibus D. Simone de Romanis, D. Joanne Baptista Tino, D. Xaverio Mollo, aliisque Testibus ad pradicta omnia, & singula vocatis, habitis, atque rogatis &c.*


Et in fidem Ego Joannes de Antonio Synodi Notarius de prædictis rogatus publicum instrumentum confeci, scripsi, subscripsi, publicavi, meoque solito signo signavi.

LOCO ✠ SIGNI.

ORATIO

ORATIO
HABITA
A Reverendo Domino
D. FRANCISCO ANTONIO DE CHIARA
NEAPOLITANO

Post Missam solemniter celebratam ipso primæ Sessionis initio.



Irabitur quispiam fortassè vestrûm, Illustrissime ac Reverendissime Præsul, Sapientissimi Adjutores, quid sit, quòd cum in hujus Sacræ Synodi primordiis Decreta vestra sanctissima, quæ suspensis omnium Bonorum animis spectantur, laudanda transmiserim, ab exornanda nunc Dominici Præcursoris Innocentia Orationis meæ cursum conspicua gestientis animi

hilaritate aggrediar? Sed cum hujus consilii causam, rationemque cognoverit, nihil fieri consultius, nihil aptius excogitari judicabit; nam cum Sanctissimum Evangelii Præconem e medio hominum cœno sublatum hac die conspexerim, & homine & fama sua majorem ad summa Integritatis culmina in Elisabethæ utero solemniori hac per Deiparam festivitate evectum consideraverim, huc intendere aciem, huc collimare studui, ut optimi illius mores, suavisque eloquii vires in aliquam vos vocent invidiam, ac toto animorum impulsu *ad Vocem in deserto Clamantis* pertrahant imitandam. Is profectò fuit Joannes, is fuit, quem tanta in suscepto penè cum vita virtutis cursu alacritas impulit, ut obfirmata constantia semper, & ubique præ manibus velut otium, ac ludum haberet virtutum omnium studium atque severitatem. Is fuit, quem tantus etiam ad vitiorum vepres evellendos, ad accensos Herodis ignes extinguendos facundiæ neruus invasit, ut quò semel intendit, eò ne supplicii quidem feritate avocatus, acerrimè ad mortem usque contenderet. Ecquid per vestram fidem enunciatur amplius ab amantissima vestri Pastoris voce in hac Diœcesi clamantis, antè Se, quàm Vos, quàm

Ger-

Gregem suum Legibus istis adstringeret? Quid in illa magnificentius admirari licet, quàm Innocentiæ specimen adeò in sublimi locatum, ut veluti sinè nube Olympus, vitiorum omnium tumultus excluderet; sensuum illecebras Rationi parentes effingeret; impigrum in virtute studium sine stimulis urgeret; atque Ecclesiasticæ tandem Dignitatis apicem in toto hoc Diœceseos ambitu Angelicæ prorsùs insereret Puritati? Jure igitur dicam meo, Sanctissime Præsul, Innocentiam hanc in Joanne feliciter expressam; ab enunciandis sacræ hujus Synodi Decretis faciliùs hodiè adumbrari. Quod ut evincerem, o illa me exornet Gratia!! O illius me flumen obruat, qui *corda fidelium Sancti Spiritus illustratione edocuit*! Ut det nobis omnibus in Spiritu Sancto congregatis *Recta sapere, & de illius semper consolatione gaudere, per Jesum Christum Servatorem Nostrum.*

Sat noto concidimus vulnere, Auditores, cum primus Parens (heù pietas!) mucronem illum in suum jugulum impulit. Hinc intestinum & civile bellum; hinc frequentissima cogitationum dispersio, hinc instabilis velut fortuna animus; hinc præceps ad vitia vel vis, vel impetus; hinc domesticum in Virtutem, ac pe-

nitùs insitum odium . Sica , sica illa adhuc in nostro latere versatur , ac semper cum dolore versabitur,

Te miror, Joannes , quorum facti particeps , ac socius fueris , eorum pœnas non persolvere . Atque hoc in Te magis mirabar: Corpus quippè , comunis hominum hostis , ipsose prò arcu usum & pharetra , nunquam telum in Te ullum contorserit , cujus aculeum sentires .. Quasi in tranquillissimo contemplationis portu anchoram fixisses , nec dissipatio te mentis levissima , tanquam aura, perstrinxerit , nec incurrentium rerum perturbatio paululùm , tanquam unda ; commoverit ; adeò inter urbium fragores , inter obscenæ aulæ turbas ne levi quidem susurro violatus, ut felicior quàm Contemplator exercitatissimus , beatior quàm Cælicola in divinos ultrò inuaderes amplexus , ac nulla vis indè distraheret , quò suamet animus sponte properaret . Quid putem , nisi novis in Te quidem , atque inusitatis coloribus primam Adæ integritatem expressam?

Sed aliò me rapit numerosa Præcursoris gloria ; perindè quasi satis hanc primæ jam olim Innocentiæ notam sim demiratus , cùm intenta semper acie , cùm immota , cùm nihil evaga-

ta

ta nusquam abstrahi a divinis potuerit. Quid quod non ab humanis etiam avelli, nec temporum asperitate perculsus, nec morientis legis occursu devictus, omnia ad impositæ vocationis officium, ad æternæ felicitatis metam qua verbo, qua manu præsignans?

Rem, quam Fides docet, diligenter accipite. Nobilissimis de Tribu Juda Principibus, misso ad Joannem nuncio, ut quisnam esset aperiret, ingenuè non se Christum reposuit; memor, ad viam illi parandam, ac testimonium de illo perhibendum se dumtaxat enatum. Ad hæc, & num Helias? Heliam se esse negavit intrepidè, quamvis in illius spiritu, ac virtute pœnitentiæ & prædicationis exercitio se rectissimè ostenderet. Præcursorem præsetulit, qui venientem Dei Agnum, mundi crimina auferentem, in spiritu baptizantem nunciaret. Nuncii denique, ac Præconis Edicta exerens, ad Verbi Vocem, *in quo Deus sibi complacuit*, se penitùs efformavit; ut vivida fide, sanctisque operibus *viam Domino Hebræi dirigerent.*

Edicta hæc num posteà morari? num prætergredi divinus annuit Legatus? Sentit quidem quàm difficili, quàm lubrico versetur loco; ingenitum enim, nec usquam lenitum curriculum

sisti

sisti Judaica protinùs indole, nec hominis, nec ab homine res est. Jactum a puero, additum pleniori ætate, ne dum flecti, sed & revocari gradum, & abduci, quàm in ea Gente exigua, quàm extrema spes! Extrema sanè, ac nisi in Joannem incidisset, profectò complorata. Etenim qua is erat mentis, animique flagrantia ad divinarum rerum contemplationem suo se statim pondere impulit; hinc aleam audacter suscipit; suadendi imperium exerit; enthei vim amoris, quam in utero hauserat, ardenter extrudit. Quid tandem? Novis quà votis, quà precibus, quà jurgiis & optat, & cogit venturo Numini adesse, quos amat, quos increpat, rectas adeò efficere peramantis Domini semitas, ut evulsis conscientiarum spinis novæ Legis aditus ad Misericordem Agnum undequaque patuerit.

Spectabas hæc sorte tua felix Innocentia, ac gestire visa, gaudio sublimior, pristinum fortunæ tuæ vultum præludebas. Juvat, juvat profectò meminisse, quid olim fueris, quid esse desieris, cum quid esse cæperis ex intervallo, jam vides. Periisti! libet ingemiscere: Teque nos amisimus. Sed libet Joanni gratulari; Rediviva per illum es. Cum enim Hominis sancti-

ctissimi spatiantem in terris vocem suspexerim, comuni si minùs crimine, pœna quidem certè absolvo, quos illam intenta ebibentes aure, quos operoso amplectentes animo invenit. Auditis? Mentem Deo hærere jubet, ne oneri sit mortale corpus; firmissimo oculorum obtutu divinum speculari Solem, ne ullæ furtim irrepant tenebræ, quæ minimùm avertant. Hoc illud est, quod ex Isaia identidem clamat: *Dirigite viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri*; perindè quasi brevem illum Innocentiæ florem nobis in uberrimum reparari, ac restitui fructum studeret, ut quòd exciderit, ab vitiato primi Parentis ingenio injuriam agnoscamus, quòd stare iterùm didicerit, ab amanti Joannis Voce beneficium.

O præclara vox! o salutare verbum! Non modò in Galilææ Synagogis ad errantium id Judæorum mentes dirigitur, sed cunctorum magis fidelium, quotquot Christianam profitentur Veritatem, animos petit, excitat, impellit. O præclarissimum Innocentiæ specimen! quod quantò contempleris attentiùs, tantò hæreas magis, an expressum potiùs in Joanne, quàm adumbratum illius in Adamo vultum fatearis.

Sed

Sed hæc Ego dum apud Vos prædico ; ne videar ad aurium gratiam citiùs , quàm ad rei dignitatem locutus , hoc uno Sanctissimi Legati exemplo Episcopos jamdudum omnes præmonitos contemplor ; quis enim tàm hospes , atque ignarus rerum , cujus adhuc non caleant aures pervagata de Illius legatione *ad testimonium de Lumine perbibendum* ? Hoc itidem munere , hoc charactere ornatos Ecclesiarum Pastores conspicio , ut sanctum Dei , ac salutare verbum ad subditas sibi oves , eas maximè , quibus adhuc in Deserto Cedar habitantibus nihil penè fuit de vero lumine nunciatum , perenni curent labore effundere . Id sanè Tu nosti , Sapientissime Pater , ac Spiritu Sancto edoctus malè affectis opportuna exhibens Diæcesanam Synodum constituisti , ne Christiana Integritas aliquo serpente paulatim morbo minimùm languesceret ; gnarus , iis opus esse Ecclesiæ Pastoribus , qui cum Baptista & verbo doceant , & exemplo ædificent : nullos minùs desides , quàm quibus animarum est demandatum regimen . Perge porrò , nullisque laboribus parce , ut ab Innocentia alieni a tenebris ad lucem , ab errore ad veritatem , a Babylone ad Sanctam Hyerusalem confugiant , Joannis integritatem , non ut ho-

stes

ſtes, verùm æmuli obnixè proſequentes. Eja igitur apertis ulnis ſic è Divino Spiritu unumquemque voca: *Audi fili mi diſciplinam Patris tui, nec dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.*

Audiat hæc Innocentia, atque nullum deeſſe, ut feliciter adumbretur, neque florem, neque colorem intelligat. Audiat, & adumbratam ſe dum gratulatur, noverit, cuinam induſtriæ, virtuti, conſilio id referat acceptum. Audiat, ſimul conſpicata conſpirantem, & penè conflatam Vocis integerrimæ cum vitiis contentionem. Miretur profectò, quid ſit, cur nulla ad internecionem ſatietas, nullum in cruciatibus faſtidium, nulla tyrannicæ libidinis perfidia Eccleſiaſticam Sanctitatem labefactarit. Quid moror? Vitiorum irritamenta unus ſemper in Eccleſia retudit Chriſtianæ Suadæ Clamor integerrimus. Hic decumanos Gentium fluctus, hic immaniſſimos infregit Etherodoxorum æſtus, quorum vis, furor, ac metus tàm præſentes Paſtores, tàm acres, tàm aſperis duros, tàm adverſis rebus invictos non exanimatos avertit, ſed alacriores ad contentionem excitavit. Hic urbes ſedavit, arceſque nefandas, hic nefaſtas

regiones, sive quas scelerum colluvie fœdavit Arius, sive quas Pelagii impetus, & consceleratus furor invasit, sive quas Martini labes infecit, Donati contagium perdidit, Nestoriana lues pervertit, Calvini perfidia insigni turpitudine, & libidinum ferè omnium cœno, sordibusque notavit; aliorum denique transfugarum injecta fraus maculis quibusdam vel aspersit, vel implicuit. Hic denique Pontificio Juri felicissimos aditus, quos incredibilis quorundam furor, præceps Conjuratorum amentia præcluserat, reseravit: omniumque studia, mentes, voluntates adjunxit, ut undè peregrina veluti Fides arcebatur, ibi sedem stabilem, ac certum domicilium collocaret. Quid, nisi a Joanne mutuatum hoc Vocis imperium fateatur oporteat Ecclesia?

Timagenem detestor, qui Romæ felicitati adversus, ob hoc unum, ajebat, sibi esse Neronis incendia dolori, quòd sciret meliora resurrectura, quàm arsissent. Devorantes, quia beneficentiores, ejurabat flammas. Tetram, ne ad splendorem relucesceret, caliginem carpebat. Urbis excidium execrabatur, altioris utpotè nuncium Majestatis. At meliùs circumspicite Vestris paulisper animis, Auditores, universas

Ter-

Terrarum Orbis Regiones . Quæ morum integritas! Quæ Religionis species! Quæ forma honestatis! Qui pudor! Quæ Pudicitia! Quæ sententiarum consensio! Quæ conspiratio voluntatum! Quæ Sacrorum Dignitas! Quæ Romana Majestas! Quæ omnia, si rectè quis ratiocinabitur, Voci Sanctissimæ per Synodales referat accepta Constitutiones; hæ namque, ut Crisologo obsequar, *Orbem tranquillarunt, Reges mitigarunt, Potestates placarunt, Romanos effecerunt Christianos, qui fuerant Persecutores nominis Christi*. Postquàm *Gentium flabra, Judaeorum turbines, persecutorum procellæ, vulgi nubes, Dæmonum nebulæ sic ruerint, ut totius mundi fieret una tempestas; In qua Regum spumabant undæ, feruebant Potestatum fluctus, sonabat rabies traditorum, populorum gurgites rotabantur, perfidiæ notabantur scopuli, mugiebant litora Christiana, lapsorum naufragia vexabantur, & erat totius mundi unum discrimen, unumque naufragium.*

Quid est? num id verbis exagero? An non exigua Patrum in Synodalibus Comitiis manus innumeras uno tempore Provincias confecerit? Confecit. An non Romani fines Imperii

 latiùs

latiùs, quàm quantùm olim porrecti, provexerit? Provexit. An non perditissimos Transfugas, impudentissimos Christianæ Reipublicæ desertores Sacrorum communione devinxerit? Devinxit. Quid tàm præter consuetudinem, quàm Perfidiæ claustra, quæ non armis, non vi, non ferro, non armatorum copiis, non militum obsidione revelli unquam poterant, acumine styli, ac vocum contentione labefactari? Inflexit Suada, quos Pallas hastata non perculit. Quos ab avita superstitione periculum, deflagratio, gladius, cædes non deterruit, eloquentiæ flumen evertit.

Verùm qui fit, Auditores, nescio, ut se se mihi præ omnibus ante ora, oculosque obiiciant, nec Theatralem hanc Orationis pompam, neque hujus loci vestibulum, conspectumque vestrum dedignentur antiquæ, ac novioris Ecclesiæ Patres Sanctissimi, qui hoc uno Conciliorum argumento Fidem exulceratam, Sanctimoniam violatam, corruptam probitatem, inflammatas libidines, mores depravatos, ablegatam, ac seclusam integritatem restituerunt. Testis hìc Antiochia, quæ tria spectavit Concilia, duo contrà Paulum Samosatensem, tertium tempore Constantii Principis. Testis Sin-

vessa

vessa Campaniæ Oppidum, quæ post Marcellini ruinam martyrio reparandam Fideles salubriori refecit Concilio. Testis Eliberis Hispaniæ Bæticæ Civitas, quæ ob Maximiani, Galerii, Maxentii, Maximini, atque Licinii persecutiones lapsis undique providit. Testis Ancyra Galatiæ Metropolis, quæ tyrannidis formidine abactos ad Christi gregem revocavit. Perlustrate quæso, Auditores, Neocæsareense Concilium, Arelatense Primum, Secundum, & Tertium, Nicenum Primum, Romanum, Gangrense, Antiochenum, Sardicense, Carthaginense sub Julio Papa, Mediolanense Primum & Secundum, Sirmiense, & Ancyranum, Laodicenum, Alexandrinum sub Liberio Papa. Perlustrate Oecumenicam secundam Synodum, & Constantinopolitanam Primam, simulque Romanam sub Damaso Papa, Taurinensem, Carthaginensem Quartam, Quintam, & Sextam, Milevitanam, Toletanam Primam, Ephesinam Oecumenicam, Arausicanam Primam, Vasensem, Nannetensem, & Chalcedonensem Oecumenicam. Perlustrate Concilium Agathense, Aurelianense Primum, Arausicanum Secundum, Lugdunense Primum, Turonicum Secundum, Toletanum Tertium, Matisconense Secundum, Constantinopolitanum Secundum inter Oecumenica Quintum,

Tole-

Toletanum Quartum ; Cabilonense , Sextum Oecumenicum , & reliqua usque ad Tridentinum celebrata ; cujus indicendæ Synodi causæ fuerunt ingruentes tum Lutheranorum , tùm Sacramentariorum hæreses , & morum in Clero pravitas, sacræque disciplinæ omnimoda relaxatio . Quibus exitialibus malis ut efficax adhiberetur cura , Sacra hæc Synodus, quanta poterat solicitudine desiderari , multiplicibus , sapientissimisque consuluit Decretis ; adeò ut plusquam reliqua , quæ præcedunt Concilia , dici meritò Tridentinum possit copiosissima penus , promptuarium uberrimum , & ditissimus totius Ecclesiæ thesaurus, tum ad Fidei circa omnes ferè articulos elucidationem , tum ad plenam Sacræ Disciplinæ instaurationem .

Hæc sanè Vos admonet Integritas , Patres Observandissimi, antiquos exhibens Ecclesiæ cætus . Ipsam audite , quæ hanc Domini Vineam , *Sancto afflante Spiritu* , Diœcesanæ Synodo , Apostolica traditione , & Sacrosanctis Oecumenicis Conciliis , Tridentino præsertim commendatæ , excolendam tradidit , atque addixit : Oculos (hæc , inquam , admonet plana , sed graviori voce) in Joannem defigite, exempla virtutum , quibus Ecclesiastici emineant,

ab

ab eō petentes ! Hunc Vobis in exemplar perfectiſſimum, & ut Aquilam ad volandum proponite provocantem. Ille Chriſtum baptizat, in deſertum convolat, ad martyrii palmam recipitur; ità & Vos memores eſtote vocationis Veſtræ, ut ubique ſitis bonus Chriſti odor, & quantum in Vobis eſt, odor vitæ in vitam, non mortis in mortem. Aſcendite in montem excelſum, qui evangelizatis Sion; exaltate in fortitudine vocem veſtram; curate, ut qui non ſapiunt, ſapiant: qui ſapiunt, non deſipiant: qui deſipiunt, reſipiſcant. Vigilate, attendentes vobis, & univerſo Gregi, tanquam rationem ſeveriſſimam de illo reddituri incorruptiſſimo atque inexorabili Judici, ſanguinemque ovium perditarum de manibus veſtris requirenti. Orate, ut vigilantibus Vobis vires addat Chriſtus, ut poſſitis cum ejus digito omnia adverſa vincentes, quod glorioſiſſimum eſt, & verè Apoſtolicum, in tribulationibus prò grege toleratis gloriari. Si tandem Joanni traditur naſcitùra Eccleſia, ad hunc modum reputate, Sacroſanctæ Synodo per Spiritum Sanctum commiſſam eſſe modicam hanc Eccleſiæ partem, ut illam jam natam, ſed mærentem, & Chriſtum quaſi denuò in ſuis crucifixum cum dolore & luctu ſpectantem, in fidem

ve-

vestram recipiatis ; ut jacentem authoritatis vestræ brachiis erigatis ; ut nutantem sincera fidei & dogmatum doctrina , tanquam firmissimæ columnæ fulciatis : ut ei egenti Canonum subsidio , quibus collapsa reparentur , obliqua dirigantur , deformiaque reformentur , subveniatis.

Sat Vobis Innocentia , sat mihi . Sit igitur in hac Synodo , quod vigeat seculorum omnium memoria; sit quod Posteritas intueatur; sit quod æternitas ipsa suspiciat . Quæ mira sunt , jampridem habet quammaxima ; plura tamen , quæ commendaret , expectabat : Sed coacta temporibus brevitas ademit . Fuerit hoc etiam vel fatum Innocentiæ melius , vel consilium . Feliciter adumbrata , hoc etiam videri potuit expressa felicius, quod ab Innocentissimo Joanne acerrimam fuerit Vocem mutuata . Gaudeat tandem, quòd flos in primo Parente illi ad vitam brevis ; fructus huic ad immortalitatem uberrimus expectetur .

Dixi.

CON-

CONSTITUTIONES,

E T

DECRETA

PRIMAE DIOECESANAE

SYNODI,

Ab Illustriss. ac Reverendiss. Domino

D. JACOBO MARIA DE ROSSI

Episcopo Massæ Lubrensis;

CELEBRATÆ ANNO DOMINI M. DCC. XXV.

In nomine Sanctissimæ , & Individuæ Trinitatis , PATRIS , FILII , & SPIRITUS SANCTI.

NOs Jacobus Maria de Rossi V.J. ac S.Th. Doctor, Divina Miseratione, ac Sedis Apostolicæ Benignitate Episcopus Massæ Lubrensis. Ad Dei Omnipotentis, Mariæ semper Virginis, Beati Cataldi præcipui hujus Ecclesiæ Patroni, aliorumque Sanctorum laudem, & gloriam; Primam hanc nostram Diœcesanam Synodum aggredimur; in

qua legitimè congregata, matura consideratione, consilioque præmissis, quæ ex Nostrorum Prædecessorum legibus, ac decretis longo tempore penè corrosis recolligere, atque excerpere potuimus, salutari moderamine lenita, ac nonnullis additionibus aucta, sanctione perpetua, in præsenti Statuimus, Decernimus, & Publicamus. Tibi laus, Tibi gloria, Tibi gratiarum actio Jesu Christe fons Misericordiarum, per quem jam oculis nostris conspicimus, & manibus nostris tangimus beatam illam spem, quæ decoram, ac sanctam nostri Cleri disciplinam, debita Ecclesiarum obsequia, Christique fidelium, quorum regimen substinemus immeritò, ædificationem ac salutem promittit. Vos adeste animis omnes, ut corporibus adestis, dilectissimi in Domino Filii, & Spiritum Sanctum terribiles has castrorum nostrorum aciës habitantem, Sanctum hunc Cætum intuentem & juvantem, Conciliorum auctorem & adjutorem, Ecclesiæ præsidem, & obsidem, opportunis importunisque pulsate precibus, ut *Labia mea aperiat (a)* ut aures vestras expurget, ut ipsi tranquillis mentibus intendatis, ut tandem Nos Sanctæ Rei paria verba habeamus.

PARS

(a) *Psalm.* 50.

PARS PRIMA.

De Fidei Professione, & Ecclesiæ Sacramentis.



Idei Professionem, cujus præscriptam habemus formam a Pio IV. in Constitutione, quæ incipit, *In Sacrosancta*, edita Idibus Novembris 1564., non incongruè Symbolum appellamus; in ea enim insertum est ad literam Symbolum majus, aliæque indivisibilés veritatès, arctantes ad ea suprà rationem de Deo credenda, quæ sola fides inconcussa firmitate præscribit. Ad ejusdem Fidei unitatem pertinet Sacramentorum uniformitas; ea quippè cum nostræ sint Religionis fundamenta, etiam a Tridentino *cap.* 3. *sess.* 13. *de Sacramento Eucharistiæ* Symbola rei Sacræ dicuntur, & invisibiles gratiæ formæ visibiles. Nos igitur ut Fidei Dogmata studiosiùs defendantur, ac vitæ æternæ aditus salubriùs pateſiant, Fidei Professionem, & Sacramentorum administrationem in medium producimus.

CAPUT I.

De Fidei Professione.

I. CErtum apud omnes Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ filios habetur, causas, quæ ad Fidem spectant, aut regulas generales Universi Ecclesiastici Corporis definiri non potuisse sine Capitis authoritate, nempè Episcopi Romani: quoniam cum Petri Cathedra ea sit, ex qua unitas Sacerdotalis exorta sit, ut loquitur Cyprianus, par erat, ut Reliquæ Ecclesiæ necessitate communionis cum Romana unirentur, eamque colerent tanquam caput, & centrum unitatis. Nos itaque mentium nostrarum acies Sanctissimæ Magistræ in omnibus illuminandas submittentes, universa, quæ usque adhuc definita sunt dogmata, & posthàc definientur, constanti Fidei Professione, atque ineluctabili credulitate adoramus.

I I. Ideò omnes, & singuli ad Animarum curam promoti, a quibus fides nostra officium exigit & cordis & linguæ, ab adeptæ possessionis die intra duos menses emittant Fidei Professionem

I I. *Const.* 89. Injunctum Nobis 3. Nov. 1564.

Trid. sess. 24. de Reformat. *cap.* 12.

nem in manibus Nostris, vel Nobis impeditis, Nostri Vicarii Generalis ad formam Bullæ Pii IV., quæ incipit, *Injunctum Nobis*. Vigilent sedulò, ne qua fera pestis Christianum gregem aliquando invadat, ut opportunè opprimere paterna charitate possimus.

III. Eandem Fidei Professionem non solum coram Nobis, vel Vicario Nostro Generali emittere tenentur Provisi de Dignitatibus, & Canonicatibus in Cathedrali Ecclesia, sed etiam in Capitulo intra duos menses a capta possessione; aliter fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.

IV. Ludimagistri, qui Theologiæ, Juris Canonici, Grammaticæ, aliarumque liberalium artium institutionem publicè assumunt, post debitum examen Fidei Professionem ad formam Bullæ Pii IV., quæ incipit, *In Sacrosancta*; edere teneantur post acceptam approbationem, sub pœnis in dicta Constitutione contentis.

V. Ec-

III.
Trid. ibidem. & dicta Const. Pii IV.
Quintius in Syn. fol. 1.
Asprella in Syn. fol. 1.
Nepita in Syn. hoc tit.

IV.
Pius IV. Const in Sacrosancta, 13. *Nov.* 1564.
Quintius fol. 1.
Asprella fol. 1.
De Iuliis in Syn. cap. 1.
Nerius in Syn. cap. 1.

V. Ecclesiastici omnes, qui sunt Beneficia affecuti, vel assequentur in posterùm, ad hanc primam Diœcesanam Synodum de jure, vel consuetudine convenientes, publicam Fidei Professionem, nisi prius emiserint, faciant, & observent, aliàs ex forma Sacrorum Canonum punientur.

V I. Examinatores tàm Parochorum, quàm aliorum Clericorum jurent ad Sancta Jesu Christi Evangelia, se fideliter susceptum onus executuros; nec aliquid occasione examinis antè, vel post penitùs accepturos, quacumque humana affectione postposita: ne Simoniæ labem tàm ipsi, quàm dantes incurrant.

V I I. Cancellario Episcopalis Nostræ Curiæ incumbat adnotare in libro, qui Fidei Professionem emiserint, atque in futurum emittent.

CA-

V.
Trid. Sess. 25. *de* Refor. *cap.* 2.

V I.
Trid. Sess. 24. *de* Refor. *cap.* 18.
Asprella fol. 1.
Quintius fol. 1.

CAPUT II.

De Sacramento Baptismatis.

I. PRimum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est, totius Fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutaris ingressus. Per ipsum enim membra Christi, ac de Ecclesiæ corpore efficimur: cumque per primum Hominem mors in universos introierit, nisi ex aqua & spiritu renascamur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum Cœlorum introire. Verè in Adamo peccantibus prima tabula, Christianæ Religionis fundamentum, ac Vitæ æternæ necessaria dispositio.

II. Materia hujus Sacramenti est aqua vera, & naturalis: nec refert, frigida sit, an calida. Forma autem est; *Ego te Baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Non tamen negamus, quin & per illa verba, *Baptizetur talis servus Christi, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, verum perficiatur Baptisma; quoniam cum principalis causa, ex qua Baptisma virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur mi-

ni-

nistrum; cum Sanctæ Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel Mulier, imò etiam Paganus, & Hæreticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia. Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis; omnis quoque pœnæ, quæ prò ipsa culpa debetur: Propterea Baptizatis nulla prò peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes ante, quam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cœlorum & Dei visionem perveniunt.

III. Infrà octavum ab ortu diem Baptismi Sacramentum conferatur, sub pœnis arbitrio Nostro imponendis; ne dum tempus ad præbendum Redemptionis mysterium quæratur, interveniente paululùm mora, inveniri non valeat, qui redimatur. Quod si rectè collatum in necessitate invenietur a Parocho, nihil iterandum ne sub

con-

III.
Can. Baptizari *dist*, 5.
Cap. De Sacram. non iter.
Cap. 2. De Baptis. & ejus effect.

Synodus Provinc. Surr. hoc tit.
Nerius cap. 2.

conditione quidem, præsumat; sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. At si acciderit in ancipiti versari baptisma, liceat his præmissis verbis iterari: *Si Baptizatus es, non te Baptizo; sed si non dum Baptizatus es, Ego te Baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

IV. Synodalia Prædecessorum Nostrorum Decreta, quibus fuit Parochis mandatum, ut quas intra Parœciæ suæ fines obstetrices habent, congruenter instruerent, nunc renovantes, injungimus, ut non solùm semel in anno ad examen illas advocent, atque edoceant tria necassariò requiri in Baptismo, nempè Materiam, Formam, atque Intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; verum etiam advertant, ità conjungendam esse Formam Materiæ, ut neque antè, neque post absolutionem, sed in ipsa aspersione verba proferantur: ne utrumque munus impleri & manus, & linguæ eodem tempore destituatur.

V. Cathechismo Romano; ac Prædecessorum

IV.
Quintius fol. 2.
Asprella fol. 2.
Centinus in II. Syn. cap. 5.
Syn. Prov. Surr. hoc tit.
Nerius cap. 2.

V.
Cath. Rom. par. 2. hoc tit.
Asprella fol 1.
Quintius fol. 1.
Nerius cap. 2.

Nostrorum Decretis inhærentes hortamur Parentes, præcipimus Parochis, ut salutari fonte lustrandi ab Ethnichorum nominibus abstineantur, ac nonnisi Sanctorum sortiantur; quandoquidem rationi consentaneum est, ut illis eorum vita in exemplum sit, pietas in patrocinium, & non pigeat imitari in virtutum splendore, quos sectari delectat in nominum gloria.

V I. Mulieres, nisi necessitate cogente, aliquem baptizare non præsumant; cum autem Presbyteri, aut Ministrorum quilibet desiderentur, & urgeat infantis periculum, ne sine hujusmodi Sacramento hanc vitam finiant; baptizent seriò Laici. Cæterùm ultima languoris necessitate deficiente, Sacerdos Diacono, Superior inferiori Clerico præferatur, nisi fortè baptizandi formam digniori modo callerent: Tandem

V I.

Can. Mulier. *Can.* In necessitate. *Can.* Constat. *Can.* Omnis Presbyter, De Consecr. *dist.* 4. *Clem. unica* de Baptis. *Can.* Diaconos, *dist.* 93. *Can.* Interdicimus 16. *quæst* 1.

Baptisterium solebat esse non intra, sed extra Ecclesiam, ut fidem facit Paulinus, qui sæpiùs in epist. 12. ad Severum *refert, Baptisterium a se inter duas Basilicas extructum. Cyrillus pariter* Catech. mystag. 1. *solitum constrni testatur Baptisterium extra Basilicas ad vicina ipsis atria. Horum prisca monumenta quibusdam supersunt in locis, ut Romæ ad Lateranensem Basilicam Baptisterium Constantinianum, & in primariis Thusciæ Civitatibus, Pisis, & Florentiæ Metropolitanarum Ecclesiarum Baptisteria sejuncta nunc quoque cernuntur ab ipsis Ecclesiis.*

dem quocumque diſcrimine ſublato, in Parochiali Eccleſia, vel in aliis in quibus ſunt ad hoc munus ſpecialiter baptiſteria deputata, a proprio dumtaxat Parocho baptiſma celebretur; cui etiam onus incumbat aquam eiiciendi in *Sacrarium*, quod non longè abſit ab ipſo baptiſmali fonte, & Sal benedictum, mappulam, candelam penes ſe retinendi, vel comburendi, ſub pœnis ad noſtrum arbitrium; ne ad pietatis opus inſtituta ſacrilego auſu ad ſuperſtitioſos uſus convertantur.

V I I. Vnus tantùm in Baptiſmo ſeù Vir, ſeù Mulier, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Sacro Fonte ſuſcipiant, inter quos, & baptizatum; ejuſque Patrem, & Matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, & illius Patrem & Matrem tantùm ſpiritualem cognationem contrahi ſciant. Quod non ſolùm educeant Parochi, verum etiam advertant Patrinos, prò iis, quos ſuſcipiunt, ſe apud Deum fidejuſſores evadere, & ad Fidei rudimen-

V I I.

*Can.*Non plures. De Conſec.*diſt*.4.

Cap. fin. De cogn. Spirit. *in* 6.

Trid. Seſſ. 24. De Refor. matr. *cap.* 2.

S. Pius V. conſt. 24. Cum illius

Can. Ità diligere 30. *quæſt.* 3.

Can. Vos antè omnia, de Conſ. *diſt.* 4.

ta tradenda, Castitatem servandam, Justitiam diligendam, Charitatem fovendam omnimoda obligatione teneri.

VIII. Iidem excommunicati non sint, aut interdicti vitandi, non publicè criminosi, blasphemi, infames, vel fidei rudimentorum expertes, & quos annuæ Communionis præceptum non explevisse constiterit, sub pœna Parochis, nisi strenuò repellant, ad Nostrum arbitrium infligenda.

IX. Singuli Animarum curam gerentes baptizatorum nomina accuratè in libro describant, Parentes etiam adnotent, & an legitimi conjuges; deindè diem, mensem, & annum cum Suscipientium nominibus, juxtà Rituale Romanum. Habeant etiam apud ipsos claves armarii, in quo Sacrorum Oleorum vasa asservantur; neque ulli tradant, nisi idoneo ac fideli Ministro, qui in casu necessitatis omni, quo docet, cultu, vascula illa deferat, sub pœnis Nostro arbitrio prò qualibet transgressione.

CA-

VIII.
Can. Cum excommunicato 11 *quæst.* 3.
Can. Parvuli, de Cons. *dist.* 4.
Quintius fol. 1.
Asprella fol. 1.

IX.
Conc. Trid. Sess. 24. *cap.* 2. De Refor. matr.
Quintius fol. 2.
Asprella fol. 1.

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

I. CHrisma confectum ex oleo, quod nitorem conscientiæ significat, & balsamo, quod odorem designat bonæ famæ, per Episcopum benedicto, est hujus Sacramenti materia; Forma verò: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Ordinarius Minister est Episcopus; cumque cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat: *Cum enim inquit, audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, et Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat: Sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum*. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Con-

firmatio

firmatio ; legitur tamen aliquandò ; per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili , & urgente admodum causa , simplicem Sacerdotem , chrismate per Episcopum confecto , hoc administrasse Confirmationis Sacramentum . Effectus autem est , quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur , sicut datus est Apostolis in die Pentecostes , ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen . Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est , confirmandus jnungitur , ne Christi nomen confiteri erubescat , & præcipuè Crucem ejus, qui Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia secundùm Apostolum, propter quod signo Crucis signatur.

I I. Postquàm Parochis Nostrum Edictum innotuerit , de hujus Sacramenti ad certam diem collatione , idipsum denuncient Populo inter Missarum solemnia , eique declarent Confirmationis naturam , dignitatem , effectus , nec non necessarias ad rectè suscipinedam præparationes, ac dispositiones . Promoneant pariter ; indelebilem imprimi characterem in Anima , reiterari sinè

I I.
Cath. Rom. par. 2. cap. 3.
Conc. Flor. in Decr. Eugenii §. 4.
Trid. Sess. 24. De Refor. *cap.* 2.
Can In Catechismo , De Conf. *dist.* 4.
Can Dictum est Nobis , & *Can. sequ.* De Conf. *dist.* 5.
Nerius cap. 2.

ſinè Sacrilegio non poſſe, ac unum tantùm requiri Patrinum, vel Matrinam cum illis omnibus conditionibus, quæ in baptiſmatis Sacramento deſcriptæ ſunt: aliàs graviſſima pœna punientur.

III. Septennio minores, quive ad perfectam non pervenerint ætatem, ad Confirmationis Sacramentum minimè admittantur. Sciant Fidei Myſteria, Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, ac Divinæ Legis præcepta. Hortentur etiam Suos Parochi, ne ultra decimum quintum ætatis annum Confirmationem differant, cum ſepè accidat, multos ad ſenium uſque deductos tàm ſalutari orbatos Vnctione defeciſſe.

IV. Patrini ſint natu majores iis, quos tenent in Sacramento: a quo munere non dum confirmatos excludimus, omneſque illos, quos in Baptiſmate ſuprà repellendos mandavimus, uti etiam Monachos, velexquovis Ordine utriuſque Sexus Regulares; nec non Eccleſiaſticos omnes

III.

Can. Ut Jejuni, De Conſ. *diſt.* 5.

Cath. Rom. loc. cit.

Nerius loc. cit.

IV.

Can. Non licet Abbati, & *Can. ſequ.* De Conſecr. *diſt.* 4

Can. Pervenit ad Nos, *cau.* 18. *qu.* 2.

Nerius loc. cit.

nes licet in dignitate constitutos, qui Monialium procurationes admittere non præsumant sub pœnis arbitrio Nostro statuendis, & quo ad Regulares, excommunicationis. Curent prætereà Parochi, ut vir virum, & mulier mulierem præsentet prò omnimoda honestate tuenda.

V. Schedula idoneitatis, in qua Confirmandi, ejusque Genitorum, ac Patrini nomina & cognomina adnotentur, Parochis præcipimus, ut ad Nos deferatur; quæ a Parocho Nostræ Cathedralis in libro ad hoc deputato describatur: sicut etiam Sacrosancto Chrismate administrato statim comburatur gossipium, quo usi sumus in Confirmati fronte abstergendo, illiusque cinis in Sacrarium projiciatur, sub pœnis arbitrio.

VI. Quia verò Sacramentum istud frequentiùs a Nobis elargitur, sciant omnes, Spiritum Sanctum, sicut in salutifero fonte plenitudinem tribuit ad Innocentiam, sic in eo augmentum præstare ad Gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam: in Chrismate confirmamur ad pugnam.

In

V. I.

S. Melchiades Papa relatus in Can. Spiritus Sanctus, De Cons.

Can. Novissimè: *Can.* De his: *& seq. eod. tit.*

Trid. Sess. 7. cap. 3. De Confirm. *& sess. 23. cap. 7.* De Sacr. Ord.

Can. Manus, De Consecr. *dist. 5.*

In Baptismate abluimur : in Chrismate roboramur. Et quamvis continuò transituris sufficiant Regenerationis beneficia ; victuris tamen necessaria sunt Chrismationis auxilia. Signatur Baptizatus in summo capite per Sacerdotem ; in fronte verò per Episcopum, cui tantum Sacramentum, quod nisi a Majoribus, idest Pontificibus, perfici non potest, est accommodatum; qua propter majori veneratione tenendum, & ab Episcopo dumtaxat administrandum cum Tridentina Synodo fatemur.

CAPUT IV.

De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

I. MUltà Salvator Dominus certissima Nobis Gratiæ Divinæ commendavit Instrumenta ; ipsorum verò nullum est tam sublime, & augustum, nullum in ordine perfectionis tàm admirandum, quàm Venerabilis Eucharistiæ Mysterium : quod inter alia principem obtinet locum, & a SS. Patribus omnium Sacramentorum maximum nuncupatur, cum in

I se

1. *Trid. Sess.* 13. *cap.* 1. *cum seq.*

ſe contineat verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſenſibilium rerum ſpecie, nempè Panis, & Vini, univerſæ Sanctitatis Auctorem. Proindè gravior nulla ullius peccati timenda eſt a Deo animadverſio; quàm cum a Fidelibus res iſta totius Sanctitatis, Pietatiſque plena nec ſanctè, nec religiosè tractetur, ut cautè admonet Apoſtolus 1. *ad Cor.* 2. *Qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*. Vt autem Oves Nobis commiſſæ ad accenſum hunc Divini Amoris igne Rubum diſcalceatis pedibus, ideſt ſumma animi veneratione, ac puritate accedant; Ideò

I I. Parochis, & Curatis omnibus injungimus ſub pœna a jure ſtatuta, juſtis ex cauſis abrogantes pœnam quinque librarum ceræ, ut quali-

I I.

*Cap.*Omnis utriuſque Sexus, *de Pœnit & Remiſſ.*

Conc. Lateran. IV. ſub Innoc. III. can. 21.

Olim ex Decreto Fabiani Papæ, & ſub Decio Martyris, citato in Can. Et ſi non frequentius, de Conſecr. *diſt.* 2. *deindè ex Concilii Agathenſis can.* 16 *Chriſtifideles non aliter impediti aſtringebantur Eucharistiam ter in anno ſumere, in Nativitate Chriſti, in Reſurrectione, & die Pentecoſtes.*

Eugen. IV. Conſt. Fide digna 3. *Jul.* 1440.

Trid. Seſſ. 13. *can* 9.

Conc. Antiochenum can. 2. *quod ab Eccleſiis eos eiici mandat, qui nolunt Sacræ Euchariſtiæ communicare. Conformitatem habet cum Apoſtolorum can.* 8. *illos excommunicante, qui convenientes in Eccleſiam non communicant.*

qualibet Quadragesimæ Dominica, ubi in Ecclesia Populus fuerit frequentior, admoneant Fideles, annuæ Communionis Præceptum incipere a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè. Quo tempore elapso teneantur Nobis, vel Nostro Vicario Generali inscripta deferre nomina, & cognomina eorum, quos Præcepto non satisfecisse invenerint; ut Ecclesiæ parere, propriæquæ saluti prospicere compellantur.

III. Non alibi, nisi in propria Parochia, vel Cathedrali omnes communicent, quibus summa fide distribuantur schedulæ de communione peracta, ac tempore completo recollectæ revideantur a Parocho; qui post Paschale præceptum Animarum propriæ Parochiæ statum conficiat, & ad Nos, vel Nostrum Vicarium Generalem, quoties requiratur, sub pœnis Nostro arbitrio, deferat.

I 2 IV.

III.

Cap. Omnis de Pœnit. & Remiss.

Cap. Officium, de Officio Archipresb.

Olim ex Conc. Nannetense prohibebatur, Sacrum ab alieno Presbytero, vel extra propriam Parochiam audiri. Eodem spectat Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. De Refor. *Multæque Constitutiones a S. Carolo in multis Synodis Mediolanensibus editæ. His tamen derogat constans, totoque propemodum Orbe Christiano recepta contraria consuetudo, et solum ad Paschalem Communionem transfertur.*

I V. Qui perfecta non dum utuntur ratione, Ecclesiasticis qui sunt innodati censuris, notoriè Interdicti, Publici usurarii, Meretrices, Concubinarii, Conjugati separatim viventes nullo prævio Ecclesiæ judicio; cæterique facinorosi ab hoc saluberrimò Cibo penitus arceantur; nisi de transactæ vitæ pœnitentia, emendatione, ac eum Deo & Proximo reconciliatione respectivè constiterit. Caveant proindè mulieres nimiæ impudentiæ formâ ad Venerabile Sacramentum accedere suscipiendum: ne par ipsis, quod illis mandavimus, necessarium respondeat supplicium.

V. In Sancta Visitatione locali cujuslibet Parochialis Ecclesiæ excitavimus verbo & exemplo Fidelium animos ad Venerabilem Eucharistiam associandam, cum ad ægrotos defertur: Duodecim saltem voluimus lumina prælucere, Pallium, aut umbellam adhiberi, ac Baldachinum adduci, ubi Sacrosancta Pyxis super Corpo-

I V.

Rit. Rom. rubr. De Euchar. § Fideles.

Ex Can. Pro dilectione.

Can. Scenicis, De Consecr. *dist.* 2.

Can. Sed illud; *dist.* 45.

Cap. Manifesta, De Pœnit. & Remiss.

V.

Cap. Sanè, De Celebrat. Miss.

Edictum Innoc. XII. prò Urbe 2. *Febr.* 1695.

porale in ægrorum ædibus reponi debeat. Verbo: quidquid in Rituali Romano, & Sacris Canonibus, quidquid in Provincialibus, & Synodalibus Constitutionibus hujus Ecclesiæ præscribitur, quo ad pompam, delationem, ministrationem Sanctissimi Sacramenti amussim observetur, sub pœnis Nostro arbitrio irrogandis. *Sciant* præterea Clerici omnes, acceptioribus non posse stipendiis Majores Ordines, & audiendarum Confessionum munus promereri, quàm cum Angelicam istam associationem superpelliceis induti condecoraverint.

V I. Cum ad Ecclesiam fuerit Parochus regressus, Indulgentias a Sanctæ Memoriæ Innocentio XII. impertitas enunciet comitantibus, ac sequentibus. Præmoneat ægroti Domesticos, ut sordibus, gravique odore mundetur domus, instructa sit propè lectum mensula cum cereis luminibus, Jesu Christi Cruce, vel aliqua pia Imagine, & vase vitreo cum aqua. Fœminas autem Sacerdotem Sacram Pixidem deferentem præcedere, noctuque hujusmodi associationi adesse omninò interdicat.

VII.

V I.
Innoc. XII. 6. Jun. 1692.
Syn. Prov Surr. hoc tit.
Nepita in Syn. hoc tit.
Syn. Card. Cantel. hoc tit., & Provinc. num. 11.

VII. Advertant opportunò tempore Parochi Sanctissimum Viaticum diligenter ægrotantibus ministrare, ne fortè contingat, illos tàm singulari beneficio privatos eorum incuria decedere. Quod si fuerint legitima necessitate detenti, utantur ministerio Sacerdotis a Nobis ad audiendas Confessiones admissi.

VIII. Tertia qualibet Dominica cujuslibet mensis mandamus, ut renovetur laudabilis illa consuetudo processionaliter gestandi SS. Synaxim intrà Cathedralis Ecclesiæ parietes; In qua cum sint addictæ septem Altarium Indulgentiæ, eas inter Missarum solemnia Parochus, ut valeat ad noxarum exipiationem lucrari, populo religiosè annunciet.

IX. In Parochialibus Ecclesiis, aut Regularium

VII.

Conc. Nicænum. *can.* 13.
Conc. Arausicanum 1. *can.* 3.
Conc. Ancyranum *can.* 6.
Conc. Agathense *can.* 11.
Innocentius I. epist. ad Exuperium: in quibus omnibus definitur, ubi est periculum mortis, ministrandam esse pœnitentibus Eucharistiam, non dum completo pœnitentiæ præscripto a Canonibus tempore.

IX.

Conc. Turonicum II. can. 3. constituit Corpus Domini in Altari reponi sub Crucis titulo. Solebat etiam reponi antiquitùs in armario ad latus Sanctuarii, ut colligi potest ex mentione Pastophoriorum, & Sacrariorum, seu Secretariorum, apud Clementem & Paulinum. Alibi asservabatur intra suspensam supra Sacrum Altare columbam ex auro, vel argento, ut colligitur ex supplici libello, quem Oecumenicæ Synodo quintæ obtulerunt Clerici, & Monachi Antiocheni, act. 1. accusantes Severum Pseudo Patriarcham da aureis Columbis direptis, super Altaria suspensis.

Cap. Sane olim, De Celebr. Miss.

Can. 1. De Custod. Euchar.

Trid Sess. 25. De Refor. Monial. *cap.* 10. & *Sess.* 13. *cap.* 6.

rium ; aut Monialium , vel ubi speciali facultate concessum sit , Sacrosanctam Eucharistiam recondendam præcipimus . Adsit Tabernaculum decenter ornatum cum conopeis secundùm Rubricas coloratis , & una saltem lampas diu noctuque prælucens . Ostiolum Tabernaculi clavæ argentea diligentissimè , & cautè occludatur, qui semper sit in Parochi potestate , aut Sacristæ , aut Ecclesiæ Rectoris , dummodò sit Sacerdos .

X. Vt penitus Sacramentum istud omnibus innotescat , sicut de cæteris disseruimus , in aliqua de hoc delibare ad extremum aggredimur. Materia est panis triticeus , & vinum de vite , cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet . Ideò autem aqua admiscetur , quoniam juxtà Sanctorum Patrum , Ecclesiæque Doctorum testimonia creditur , ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum : deindè , quia hoc convenit Dominicæ Passionis repræsentationi ; inquit enim Beatus Alexander Papa V. a Beato Petrò : In Sacramentorum oblationibus , quæ intrà Missarum solemnia Domino efferuntur , panis tantùm , & vinum aqua permixtum in Sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum , aut aqua sola offerri , sed utrumque permixtum : quia utrumque , id est , Sanguis,

& aqua

& aqua ex latere Christi profluxisse legitur; tum etiam, quod convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis, *Aquæ multæ, Populi multi*. Et Julius Papà Primus post S. Silvestrum ait: Calix Dominicus, juxtà Canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus, in aqua populum intelligi, in vino Sanguinem Christi ostendi. Cum ergo in Calice vinum & aqua miscetur, Christo populus adunatur, & Fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur, & jungitur.

X I. Conficitur a Sacerdote hoc Sacramentum, in persona Christi loquente. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Christi Corpus, & Substantia vini in Sanguinem convertuntur; ità tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini: sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta, totus Christus. Effectus, quem in Anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum: & quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, quoad vitam agunt corpo-

corporalem, subltentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc, quoad vitam operatur spiritualem, in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris Nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.

CAPUT V.

De Pœnitentiæ Sacramento.

I. UT perarduo audiendi Sacramentales Confessiones munere fungatur Minister in sanâ doctrina, & charitate non ficta; evolvat animo crebriùs, Clementissimam Servatoris Jesu Bonitatem, quia infirmi sumus, & lutea portamus vasa, Reconciliationis Sacramentum Ecclesiæ Suæ reliquisse, ut Animæ peccatis emortuæ ad spiritualem vitam reviviscerent. Quapropter ea sit oportet scientia, ac prudentia præditus, qua & crimina investiget, lepram a lepra descriminet, gravia leviaque prò cujusque hominis conditione, ac genere dijudicet; Opiniones minus probabiles, minusque tutas, magis Conscientiarum genio, quàm necessitati accomodatas prò virili refutet, illisque utatur, quibus firmior Dei mandatorum semita inoffenso

pede percurrenda construitur.

I I. Hujus Sacramenti materia sunt Pœnitentis actus, qui in tres distinguuntur partes. Prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: Secunda oris confessio ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti integraliter confiteatur: Tertia, satisfactio prò peccatis secundum Sacerdotis arbitrium, quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemosynam. Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absolvo, &c.* Minister est Sacerdos, habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex Superioris commissione: Effectus est absolutio a peccatis.

I I I. Nullimodè Mulierum Confessiones, nisi in Templo patenter, & in loco ad id specialiter deputato, neque antè Auroram illucescentem,

I I I.

Ex Conc. Tolet. I. can. 6.

Conc. Parisiense sub Greg. Papa IV. & Ludovico Pio Francorum Rege hoc statuit lib. 1. cap 46. Ne ullus Sacerdos alicujus Monialis confessionem audiat, nisi coràm testibus haud procul adstantibus.

Syn Prov. Surr hoc tit.

Quintius in Syn. fol. 2.

Aspr. lla ia Syn fol 2.

Gallus in Syn. 20. Dec. 1642. *hoc tit.*

De Iuliis cap. 12.

Nerius cap. 3.

N pita hoc tit.

tem; neque post occasum Solis quisque sive Regularis, sive Secularis, extrà necessitatis casum, audeat percipere sub pœna suspensionis ipso facto ab audiendis Confessionibus. Infirmarum verò mulierum percipiantur aperto ostio, & cubiculi fores ità pateant, ut conspici, non autem valeant audiri.

I V. Sacrosanctam Tridentinam Synodum sequentes mandamus, ne quisvis sive Secularis, sive

I V.

Constituerat Bonifacius VIII. *Cap.* Super Cathedram, de sepult. in extrav. comm., *non posse exemptos, atque mendicantes Regulares prædicare, aut externorum confessiones ullatenùs audire citrà Ordinariorum licentiam, in quorum Diœcesibus versantur. Quod Decretum licet a Benedicto* XI. *abrogatum inveniatur in cap.* Inter cunctas, in extrav. commun. de privil. *in pristinam tamen auctoritatem restitutum fuit ab ipso Concil. Viennensi, ut legitur in* Clem. Dudum, de sepult. & Clem. 1. de privileg. & excess. privileg.

Viennensi huic Sanctioni conformatur planè Tridentinum sess. 23. *c.* 15. De Refor. *& sess.* 25. *cap.* 4. *& his posteriora Decreta Greg.* XIII. *an.* 1567. *Greg.* XV. *in Bulla* Romanus Pontifex in specula an. 1622. eiusdemque Bulla, Inscrutabili.

His similes edidere sanctiones Vrbanus VIII. & Innoc. X. in bullis annorum 1648. *&* 1653. *quarum utraque est Mensis Maii, in causa Episcopi Angelopolitani, & Regularium Soc. Iesu. Et novissimè Alexander* VII. *in simili causa Episcopi Andegavensis, & Societatis præfatæ, aliorumque Regularium die* 26. *Februarii* 1659.

Hùc etiam spectat concordatum mediatore Cardinali Armando Richelio, transactum inter Episcopos Regni Francici, & quorumvis Ordinum Regulares, Parisiis die Febr. 9. *ann.* 1633. *quod insertum legitur in tabuli Actuum Cleri Gallicani, & exactè conformatur præfatis Conciliorum, & Pontificum sanctionibus.*

ve Regularis Sacerdos a peccatis absolvendi potestatem exerceat, nisi aut Parochiale Beneficium obtineat, aut a Nobis per publicum examen, & præmissis de vita, moribus, atque ætate requisitis, idoneus censeatur. Suspensos itaque declaramus, si quos Confessariorum inopia, ac necessitate compulsi absque severo judicio approbatione aliquando donavimus: donec Theologico aspersi pulvere ad examinis arenam descendere seriùs meruerint:

V. Si qui rudes, & necessaria ad hujusmodi suscipiendum Sacramentum, maximè Fidei nostræ Rudimenta, ignorantes inveniantur, illos maximoperè adjuvent Confessarii, aut instruendos remittant. Omni pariter conatu, monituque vehementi avertant frequentissima illa verba: *Passum Fides tua*; quod si formalem continere blasphemiam cognoverint, sciant quid agere debeant, nec impunè impios hosce dimittant.

V I. Caveant Confessarii omnes, ne laxatæ indul-

V I.

Cap. Clerici 4. De Excessibus Prælatorum.

Conc. Nicænum *can.* 11. 12. & 14.

Conc. Arelatense II. *can.* 11.

Leo Magnus epist. 92. *cap.* 11. & 12.

Tertull. lib. de pœnit.

Pacian. paræn. ad pœnit.

Hieronym. in epitaphio Fabiolæ, *quo hujus sanctæ viduæ graphicè describit publicam in Basilica Laterana pœnitentiam: & Conc. Agathense can.* 15. *& Toletanum III. can.* 12.

indulgentiæ ſtudio Animas ſuas alienis peccatis commiſceant æterniſque devoveant cruciatibus; quapropter prava delinquendi conſuetudine victis, in proximiori occaſione relapſus conſtitutis, obnoxiis reſtitutioni bonorum, vel famæ, ſi aliàs confeſſi reſtituere neglexerunt, mulieribus impudentiſſimo corporis ornatu Confeſſionalia petentibus, ac ſimilibus; Sacramentalem Abſolutionem, quantum piò Animarum ſalute expedire videbitur, clementi ſeveritate vel denegent, vel differant. Memores primitivæ Eccleſiæ Pœnitentium, qui pulla veſte cineribus conſperſa, ſaccis, ciliciis, ſqualore capitis inculti, totiuſque corporis neglectu: ſeveris præterea jejuniis, orationum frequentia, vigiliis, aliiſque aſperitatibus ad Pœnitentiam admitti cogebantur.



CA:

CAPUT VI.

De Casibus Episcopo Reservatis.

I. UT hominum in peccata proclivis compescatur licentia, antiquum Ecclesiæ morem, tanquam Divinæ consonum Auctoritati, piumque Prædecessorum Nostrorum institutum, prosequentes, atrociorum quædam delictorum genera ità Nostro reservamus judicio, ut nemini e Secularibus, vel Regularibus Ministris tàm approbatis, quàm approbandis, etiam Parochis, quempiam ab iis absolvere liceat sinè Nostra, vel

I.

Trid. sess. 14. *cap.* 7. *& can.* 11. de Pœnit.

*Cap.*Si Episcopus 2.*de Pœnit. in6.*

Extravag. Et si Dominici. 3.*eod.tit.*

*S Cyprian.Epist.*Ingemiscere.

*Clement.*Religiosi. *de Privileg.*

Clemens VIII. in Dec. S C. Ep. 9.*Ian.*1661.

Paulus V. in Dec. 7. *Ian.* 1617.

Urbanus VIII. in Dec. 17. *Nov.* 1628.

Clemens X. in Const. Superna.

Alexander VII. in Dec. & Brevi ad Episc. Andegavensem 26. Febr. 1659. in quibus damnavit Propositionem istam: Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis: *& declaravit esse* Falsam, auctoritati Episcoporum, & Sedi Apostolicæ injuriosam. *Ac mandavit*, hanc declarationem, & damnationem a cunctis tenendam, sequendam, & in praxi observandam, sub pœnis contrà Schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos impositis.

vel Nostri Vicarii Generalis facultate. Nam si Dei timor & amor a patrandis excessibus homines non arceant, absterreat saltem absolutionis arduitas.

I I. Confessarius a Nobis approbatus scienter aliquem a Casibus Reservatis, sive cum censuris, sive non, absque Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis facultate absolvens, sit ipso facto suspensus ab audiendis Confessionibus, ut in præsenti Constitutione suspendimus, & irritam declaramus absolutionem. Quapropter Parochis omnibus præcipimus sub pœna a Nobis statuenda, ut illos in Confessionariis affixos patefaciant, curentque Populo notificare, ac in Doctrina Christiana explicare.

I I I. Veruntamen declaramus, prædictis omnibus exceptis, quorum nullam concedimus facultatem præter mortis articulum, Parochos, aliosque Confessarios tàm Seculares, quàm Regulares, a Nobis approbatos, vel approbandos, absolvere posse ab omnibus aliis Casibus & Censuris, quæ per Edicta, aut Synodales Constitutiones Nobis, vel Ordinario Massæ Lubrensis reservantur.

I. V. Caveat autem Pœnitentiarius, quem depu-

I. V.

Emin. Caracciolus in I. Syn. Neap. decr. 3. de Pœnit. | *Emin. Cantelmus in Syn. Neap. 70c tit. num. 29.*

deputatum habemus, in vim facultatis, quam habet, quemque a Censuris absolvere, nisi integra audita Confessione, eundem Sacramentaliter etiam absolvat, quin imò a Reservatis reservationem auferre, ad simplicem Confessarium remittendo non Reservatorum absolutionem; quòd si secùs egerit, ex nunc Reservationis ablationem irritam, atque illicitam declaramus.

V. Denique antè decimum quartum ætatis annum completum neminem comprehendi volumus censuris hisce, & casibus; quos duplici mox distincto Paragrapho subnectemus; ut ii, quibus est annexa censura, ab iis, qui ei non subsunt, clarè percipiantur.

§. I.

Casus cum Excommunicatione Reservati.

I. SAcramentorum, & Sacramentalium, aliarumque rerum abusus, ad finem nimirum superstitiosum, vel aliàs illicitum; ità ut tàm dantes, quàm recipientes, atque utentes includantur. II. Fur-

---

I.
Centinus in I. Syn. Decr. 8.
Gallus hoc. tit.

De Iuliis hoc tit.
Nerius hoc tit.

I I. Furtum Rei Sacræ, a loco sacro, vel rei non sacræ ab eodem; ad usum tamen Ecclesiæ destinatæ, seu accomodatæ.

I I I. Arbores incendentes, vel dolosè, pravaque ex voluntate incidentes: eorum fautores, auxiliatores, mandantes, vel consulentes juxtà terminos Sacrorum Canonum.

I V. Abortus, ejusque procuratio, opis datio, consultatio; sequuto tamen effectu, sive fœtus sit animatus, sive inanimis.

V. Falsificantes bullas, literas, provisiones, aliasque Scripturas Episcopales.

§. I I.

Casus sinè Excommunicatione Reservati.

I. BLasphemia in Deum, vel Sanctissimum Sacramentum, vel Beatissimam

L

I I.
Gallus in Syn. hoc tit.
De Juliis hoc tit.
Nerius hoc tit.

I I I.
Palma in Syn. num. 13.
Nerius hoc tit.

I V.
Palma num. 15.
Nerius hoc tit.

V.
Palma loc.cit.

I.
Palma num.3.
Gallus, De Iulijs, Centinus, & Nerius hoc tit.

mam Virginem ex prava consuetudine coràm pluribus suprà quatuor.

I I. Sortilegia, Incantationes, & Veneficia cum expressa Dœmonis invocatione:

I I I. Falsitas in Judicio cum præjudicio Tertii.

I V. Bestialitas, & Sodomia tàm propria cum masculis, quàm impropria cum fœminis; ità ut in his, & sequentibus luxuriæ casibus masculi tantum comprehendantur:

V. Incestus in primo, & secundo consanguinitatis gradu, & in primo affinitatis: nec non & copula perfecta inter conjunctos spirituali cognatione.

V I. Homicidium voluntarium; ejusque consultatio, mandatum, seu procuratio; secuto tamen effectu.

V I I. Concubinatus propriè dictus iuxtà terminos, & formam juris.

Spon-

I I.

Palma num. 4.

Centinus, Gallus, de Iulijs, & Nerius hoc tit.

I I I.

Palma num. 10.

Centinus, Gallus, De Iulijs, & Nerius hoc tit.

I V.

Iidem hoc tit.

V.

Palma num. 18.

Iidem supràcit. hoc tit.

V I.

Palma num. 19.

Iidem hoc tit.

V I I.

Palma num. 13.

Iidem hoc tit.

V I I I. Sponsi, & Sponsæ de futuro, qui antequam Matrimonium per Verba de præsenti in faciem Ecclesiæ contraxerint, consummare non verentur.

I X. Retinentes in lecto puerulos antè annum completum.

X. Medici visitantes in lecto infirmos non confessos ultra tertium diem a prima visitatione secundum terminos Bullæ S. Pii V.

X I. Debitores Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & Piorum Locorum, sive ipsorum Administratores, si infrà mensem, postquàm fuerint requisiti, etiam extrajudicialiter, a Rectoribus, Procuratoribus, Beneficiatis, sive Administratoribus dictorum Locorum, redditus, sive census eorum non solverint.

V I I I.
De Iulijs, et Nerius hoc tit.

I X.
Nerius hoc.tit.

X.
Concilium Lateranense IV. sancit, ut Medici ad Ægrotos vocati sub pæna Interdicti ab Ecclesiæ ingressu teneantur eos admonere, ut in primis Medicos advocent Animarum; sic enim saluti simul animæ & corporis consultum iri. Prohibetur insuper cum anathematis inci minatione, ne quis Medicus Ægro pro corporis salute quidquam suadeat, quod vertat in animæ perniciem, Deique offensam. Habetur in cap. Cum infirmitas, de pœnit. & remiss.
Palma num. 25.
Nerius hoc tit.

X I.
De Iulijs hoc tit.
Nepita tit. De Debitoribus Ecclesiarum.

CAPUT VII.

De Extremæ Unctionis Sacramento.

I. UNctionis extremæ, totius Christianæ vitæ consummativum Sacramentum, Pœnitentiæ perfectio appellatur a Sanctis Patribus. Hujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum, nec nisi infirmo, de cujus morte timetur, debet administrari. Qui in his locis ungendus est, in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus Sacramenti est hæc: *Per istam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, etc.* & similiter in aliis membris. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos: effectus verò est mentis sanatio, & in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc Sacramento inquit B. Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat præsbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Hoc

I I. Hoc igitur Sacramentum adhibeant sedulò Parochi infirmis adultis, ità periculosè decumbentibus, ut in vitæ exitu constituti videantur. Curent mentis, & rationis compotes de ipsius virtute, utilitateque instruere: instructos dein ad illud optandum, atque exposcendum excitent; sin autem integris non constent sensibus, illud tamen petierint, vel verisimile est petiisse, nisi impedimentum supervenisset, præsidium hoc divinum, ac novissimum Ecclesiæ munus illis etiam exhibeant. Cum ad ungendum pervenerint, commonefaciant, Sanctissimam hanc Vnctionem peccati reliquias, si quæ sint, abstergere; ægroti animam confirmare, ut Dœmonum insidiis resisteret faciliùs, ac expeditiori ad Deum cursu ferretur. Tùm Litaniis, atque Orationibus de Ecclesiæ more recitatis, si fœmina, præterquam in lumbis, in cęteris ungatur partibus, in quibus ungi mares consuescunt.

I I I. Exactè consulant Parochi in Sacramenti

I I.

Trid.sess.14.cap. 2.

Cath. Rom. part. 2. cap. 6 num. 9.

Rit.Rom.in rubr.de Sacr.Extr. Vnct.

Conc.Mediolanense I part. 2 hoc tit.

Syn.Prov.Surr.hoc.tit.

I I I.

Rit. Rom in Rubr. De Sacr. Extr. Vnct.

Cath Rom.hoc tit.

Syn.Prov.Surr.hoc tit.

N rius cap 4.

Neapita hoc tit.

ti hujus adminiſtratione, quæ ſunt accuratè ſtatuta in Rituali Romano circa materiam, formam, ſuſcipientis diſpoſitionem ſive ſpiritualem, ſive corporalem, Ritum, ac cæremonias abſolvendas. Immediatè poſt Sanctiſſimum Viaticum, niſi aliud expoſtularet neceſſitas, adminiſtrent; deſiſtant, ſi inter unctionem infirmus decederet: ſecus, ſi dubitetur an vivat; ac tandem niſi diuturna valdè ſit infirmitas, iterare in eadem non audeant. Tranſgreſſores prò negligentiæ culpa ſciant ſe graviter a Nobis puniendos.

I V. Suo muneri ſciant Parochi minimè ſatisfeciſſe, ſi adminiſtratis Infirmo Sacramentis, illum prorſus deſeruerint. Laboranti in extremis ſolicitè opitulentur, confirment quandoque Sanctorum exemplis, actibus Contritionis, Fidei, Spei, & Charitatis excitent, brevibuſque orationibus erigant ad morbi toleranda incommoda, ac humani generis hoſtium calliditatem, inſidiaſque eludendas. Meminerint etiam opportunè Nos de Infirmorum admonere periculo, ut poſſimus pariter illos inviſere, eiſque benedictionem impertiri, & quantum fieri poteſt, uſque ad extremos vitæ anhelitus adjuvare.

V. Tan-

I V.
Rit. Rom. de V. ſit. & cura Inſir. *Syn. Prov. Sacr. tit.* de Parochis. *Nerius cap.* 5.

V. Tantùm a Parocho Nostræ Cathedralis Sancta infirmorum Olea aliarum Ecclesiarum Parochis distribuantur, qui superpelliceo induti, ac stola, aliquo præcedente lumine ex Decretis Sanctæ Visitationis localis, illa ad proprias deferant Paræcias, sub pœna Nostro arbitrio statuenda. Et nonnisi de Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis licentia alteri Sacro Ministro eadem deferenda commendet; Quo ad Monialium Conservatoria Confessariis, vel Sacristis utatur, & adnotet in libro.

CAPUT VIII.

De Ordinis Sacramento.

I. Illud est hujus Sacramenti materia, per cujus traditionem Ordo confertur: sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus per Calicis vacui cum Patena vacuâ superposita traditionem: & similiter de aliis, per rerum ad Ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et sic de aliorum Ordinum formis, prò ut in Pontificali

tificali Romano latè continetur. Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus: effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus Minister.

I I. Equidem ex hoc omnia Sacramenta pendere, adeò ut sine illo partim confici, partim administrari nequeant, partim solemni cæremonia, ac Religioso ritu carere videantur, nullus est qui ignoret. Nos Deum enixè præcamur, ut nullis humanis moti favoribus, sed Deum ipsum præ oculis habentes, novos Ecclesiæ milites, decore ac fortitudine extructos in sortem Domini eligere satagamus, prò congrua hujus Civitatis, ac Diœcesis indigentia; Ideò has leges inviolabiliter observandas proponimus.

I I I. Requisita Promovendorum ad primam Tonsuram, atque Ordines tàm minores, quàm majores, recognoscantur, & discutiantur omni, qua potest & debet, diligentia a Secretario Ordinandorum per Nos deputando. Nobisque in Congregatione antè Generales Ordinationes habenda referantur. Quod ut possit fideliter præstari, ac muneri suo satisfaciat Secretarius, vi huius

I I. *Trid. sess. 23. De Sacr. Ord. cap. 1. cum sequ.*

I I I. *Trid. sess. 23 De Refor. cap 5.*

hujus præsentis Constitutionis præcipimus, ut per mensem omninò ante statutam Ordinationis diem Requisita a Promovendis exhibeantur, aliàs non admittantur.

IV. Promovendi ad primam Tonsuram examinentur exactè de qualitate vocationis ad Statum Ecclesiasticum: an Secularis judicii vitandi causa: an sint contentiosis litibus involuti: an rixas, simultatesque exerceant: in quanam arte, aut

M quo

IV.

*Trid.sess.23.De Refor.cap.4. Idem sess.22.cap.4.*De Refor.*specialiter vetat Tonsura initiari, nisi qui Confirmationis Sacramentum antè susceperint. Cui decreto quisquis sciens & prudens contravenerit, se peccato lethali astrinxit, quia scilicet Ecclesiæ decretum in re gravis momenti transgressus est, juxta Toletum* lib. 1. Instruct. cap. 71. Bonac. de Sacram. disp. 8, qu. unica, punct. 5. propos. 2. Franciscum Hallier, de sacris elect. sect. 4. cap. 2. art. 2. *Nec enim accedendum hic duco opinioni Navarri, Suarez, Coninx, & aliorum, qui hanc omissionem in Ordinatis, seclusa contemptu, solius damnant culpæ venialis. Concedimus quidem hunc defectum validitati Ordinum nihil efficere: nam & ipsos Apostolos Christus ante suum ad Cælos Ascensum consecravit Sacerdotes, antequam ipso Spiritus Sancti in die Pentecostes illapsu fuissent confirmati. Certum præterea est, nulla juris censura, nullaque irregularitate puniri istiusmodi defectum. Iste verò Canon non sumpsit exordium a Tridentino, sed ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis viguit, ut probat S. Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum epistola apud Eusebium* lib. 6. Eccles. hist. cap. 33. *Ibi S. Pontifex asseverat, non recepisse Novatum in sua illa Sacerdotii inauguratione Spiritum Sanctum, eo quòd signaculo Dominico non fuisset consignatus, quod fieri antè debuerat secundum Ecclesiæ Canonem.*

quo vitæ genere sint hactenus versati : an tales sint, qui spem præbeant Ecclesiæ Ministros utiles fore : an legere, & scribere norint : an Doctrinæ Christianæ præcepta, atque instituta calleant : an denique Confirmationis Sacramentum susceperint.

V. Ab illis autem, qui in minoribus volunt adscribi Ordinibus, quæratur : an saltem Grammaticæ primordia, & linguam latinam intelligant : an scientiæ spes tales eos ostendat, qui digni sint, ut ad majores aliquandò ascendant. Majoribus tandem initiandi, sicuti eminentiorem Ordinis gradum acquirunt, ità debent Virtutum, Probitatis, ac Doctrinæ præstantia prælucere.

VI. Quapropter videant in primis Examinatores, an, qui Ordinis Sacramento initiantur, in vitæ Spiritualis disciplina majorem fecerint progressum : An Breviarium, Biblia, Concilium Tridentinum, Cathechismum Romanum, hanc Nostram Diœcesanam Synodum, & libros aliquot de Christiana Perfectione conscriptos apud se retineant ; nimirum de Christi Imitatione, Patris Spinolæ Meditationes, ac Doctrinam Chri-

V.
Trid. Sess. 23. de Reformat. *cap.* 11.

V I.
Nerius in Syn. cap. 12.

Christianam Eminentissimi Bellarmini.

VII. A Subdiaconis, Diaconisque majorum & minorum Ordinum differentia quæratur: an sint in minoribus ordinibus probati: de voto Continentiæ: de Sacramentorum dogmate: & experimentum fiat in Divini Officii recitandi ratione.

VIII. Ab iis demum, qui Sacerdotio insigniri volunt, hæc sigillatim requirantur: an piè, & fideliter in anteactis Ministeriis se gesserint: an spectata pietate, & castis moribus: an præclara possint bonorum operum exempla, ac vitæ documenta ab ipsis expectari. Quid Sacrificium incruentum: quinam illius effectus: quæ partes ejusdem: quæ in offerendo requirantur: ubi, & quando id fieri non liceat: quæ possint aliquando dubia incidere. Verbo: de illis omnibus, quæ Nobis, Nostrisque Consultoribus necessaria videbuntur, fiat experimentum.

IX. Ad omnes evitandas fallacias, artes, & simulationes in attestatione perceptionis fructuum Patrimonii assignati, volumus, ut in posterum Fides illorum sit vallata, & firmata a dignioribus Viris, & maximè a Parocho; cujus erit in Ordinandorum denunciationibus addere materna lingua titulum, quo quis ordinatur; scilicet, *Se vi sia alcuno del Popolo, il quasapesse, che il Patrimonio fondato in quell'Oliveto*

veta, o Vigna di N. N. promosso a gl' Ordini Sacri, non appartiene a detto Ordinando, o a quelli che l' han donato: che non sia reale, ma fittizio: e che sia con peso; sappia dover tutto rivelare sotto pena di scommunica latæ sententiæ. Et ultrà prædictas denunciationes eorum notulæ in Ecclesiis affigantur, ut si Parochi aliquid scriverint, possint Nostro Secretario apetire.

X. Patrimonium, ad cujus titulum Ordinandus

X.

Can. Neminem,

Can. Sanctorum, *dist.* 70.

Trid. sess. 21. de Reformat. *cap.* 2.

Nepita in Syn. De Ordinibus suscipiendis.

Conc. generale XI seu Lateranense III. sub Alexandro III. Pontifice in Can. 5 astringit Episcopum, ut vitæ necessaria submiistret ei, quem sine sufficiente Patrimonio, vel titulo ad Sacrum Ordinem promoverit. *Refertur in cap.* Episcopus si aliquem, *& cap.* Non liceat, de præbend. *Gregorius Turonensis lib. 8. hist. Franc. cap.* 20. *inquit.* Faustinianus, qui jussu Gundobaldi Aquensis urbis Episcopus ordinatus fuerat, ea conditione removetur, ut eum Bertrandus, Orestes, & Palladius, qui eum benedixerant, vicibus pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent.

Innocentius Papa III. epist. 84. regesto 15. *Episcopum Pictaviensem increpat; eo quod in elusionem Canonis, quò sine titulo, vel patrimonio Clericis ordinatis per Ordinatores, aut Præsentatores, aut Successores eorum jubetur de victu provideri, jusjurandum recepisset ab Ordinandis, quod nullum vitæ subsidium ab ipso unquam petituri essent.*

Idem epist. ad Zamorensem Episcopum, *constituit, ut ordinator Episcopus ei, quem ordinatione sine titulo consecravit, ejusque successor compellatur de victu providere, donec titulum nanciscatur. Habetur in cap.* Secundum Apostolum, de præbend.

nandus ex Canonum Decretis assumi debet, sit annui redditus ducatorum viginti quatuor, juxtà hujus Ecclesiæ Praxim: Non sit litibus obnoxium, aut oneri, ærique alieno, hypothecæ; vel alteri præpositum; Proindèque quicumque sinè titulo, vel cum titulo insufficienti, aut ficto, & simulato, vel donatione dolosè habita, cum pacto de non petendo, seu de restituendo, ad Sacros Ordines promoveantur, pœnam suspensionis incurrant, quæ nunquam relaxabitur, nisi de reali Patrimonio constiterit.

X I. Ordinandus ad titulum Patrimonii juret in Nostra Curia, se illud neque in totum, neque in partem alienaturum, cessurum, obligaturum, seù prò eo aliud subrogaturum sine Nostro permissu, sub pœna suspensionis.

X I I. Pęnas pariter arbitrio Nostro luent, qui attestationes, seù fides conficientes, animo gratum faciendi, aliave ex causa fuerint quidquam mentiti. Undè sciant Sacristæ Cathedralis Ecclesiæ, quorum interest juratam facere fidem de obsequio præstito, non sufficere Nostro Secretario generalibus testari verbis, Ordinandum vacasse officio serviendi; sed debent exprimere, Quoties, Quid egerit, An laudabiliter & modestè; An se obsequentem Majoribus præstiterit: aliter non admittetur.

Memi-

tores, si quidquam officiorum suorum intuitu antè, vel post discussionem, aut admissionem requisitorum, sive ipsum examen a promovendis directè, vel indirectè recipiant, pœnam suspensionis a Divinis tam recipientes, quàm dantes incurrant. Requisita autem, quæ a quolibet Promovendo debeant repræsentari, ac sine quibus neque ad Ordines, neque ad Examen admitti, sequenti Paragrapho distinctè edicimus.

§. UNICUS.

Ordinandorum Requisita enumerantur.

I. IN primitiva Ecclesia nemo ad Ordines promovebatur, quin simul ascriberetur alicujus Ecclesiæ, aut Monasterii Ministerio. Ea Clerici ad certam Ecclesiam adscriptio dicebatur Intitulatio, & ipsa Ecclesia Titulus. Postquàm verò per ordinationum multitudinem ea desit Consuetudo, tum demùm requisivere Jura Patrimo-

I.

Conc. Generale XI. seù Lateranense III. sub Alexandro III. Pontifice can. 5.

Conc. Chalcedonense can. 6. et legitur can. 1. et 2. dist. 70.

Capitulare Caroli Magni lib. 1. cap. 25. Nullus, ait, absolutè ordinetur, & sine pronunciatione stabilitatis loci, ad quem ordinatur.

Trid. sess. 23. cap. 16.

trimonium. Instaurans porrò Tridentinum jura antiqua, prohibet quemquam ordinari, quin certæ Ecclesiæ Ministerio ascribatur; non tamen adstringit, ut Ecclesiæ suppeditent stipendia Clericis illis adscriptis, nisi ratione Beneficii. Nos eidem *Sanctioni* obsequentes fidem a Proselytis Nostris, qui non dum prima sunt initiati Tonsura, requirimus de solertiori præstita opera Ecclesiæ Nostræ Cathedrali tàm Dominicis, & festis diebus, quàm aliis *respectivè*.

I I. Requirimus pariter in literis Fidem Matrimonii Parentum, ut legitimi appareant Natales: Baptismatis, ut de ætate constet: Confirmationis: Perquisitionis Curiæ laicalis: Bonæ vitæ & morum: Studiorum frequentiæ: Exercitii Doctrinæ Christianæ: Congregationis B. Mariæ Virginis: Delationis habitus Clericalis per sex menses: Publicationum in propria Parochia, & Cathedrali: ac denique Confessionis, & Communionis tàm in prima & tertia cujuslibet mensis Dominica, quàm in festivitatibus Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Virginis Mariæ, & omnium Apostolorum.

Qui

I, I.
Can. Non liceat, *dist.* 92.
Trid. sess. 23. de Reformat. *cap.* 16.
Canones in I. Syn. De Clericorum moribus, & Vita.
De Juliis in II. Syn. §. Clerici, & §. Sacrarum literarum.
Nerius cap. 12.

III. Qui minoribus Ordinibus insigniri volunt, docebunt primam Tonsuram suscepisse ex literis Collationis illius, cujus bullam infrà dies octo sub pœnis arbitrio recipiant, sicuti post cæterorum etiam Ordinum susceptionem: Perquisitionem Curiæ Episcopalis: & acceptis ordinibus Ecclesiæ Nostræ Cathedrali, cui adscripti sunt, servitium præstitisse, præter alia præscripta prò Prima Tonsura.

IV. Subdiaconus Ordinem suscepturus sequentia diligenter exhibeat: Perquisitionem Curiæ Episcopalis: Literas collationis ultimi Ordinis minoris: Fidem Baptismi, ut constet de anno vigesimo secundo incepto: Denunciationum tàm in propria, quàm in Cathedrali Parochia: Frequentiæ Sacramentorum: Bonæ vitæ, & morum: Cantus Gregoriani, & Cæremoniarum: Explicationis Cathechismi, & Doctrinæ Christianæ: Institutionis Philosophiæ, vel Theologiæ: Tituli sive Beneficii, sive Patrimonii, Ministerii in Divinis, & Exercitiorum Spiritua-

N lium

IV.

Innoc. XI. 1. Decem. 1692.
Clemens XI. 1 Febr. 1710.
Nerius cap. 4.

Primis Ecclesiæ seculis provectior ad Diaconatum, & Sacerdotium ætas exigebatur, viginti quinque annorum ad Diaconatum, & triginta ad Sacerdotium; sic enim definiunt Synodi quartæ Toletana canon 19. & antiquioris Synodi Agathensis canon. 17. & his multò vetustioris Neocæsarensis canon. 11.

lium D.Patriarchæ Ignatii per decem dies.

V. Prò Diaconatus Ordine Fides Baptismi requiritur, ut constet de anno vigesimo tertio incepto: Collationis Subdiaconatus: Perquisitionis Curiæ Episcopalis: Publicationum tàm in propria, quàm in Cathedrali Parochia: Sacramentorum frequentiæ: Exercitii Ordinis per se, & non per alios præstiti in Nostra Cathedrali mensibus deputatis: Perceptionis fructuum Patrimonii: aliorumque prò Subdiaconatu suprà requisitorum.

VI. Ad Angelicam Sacerdotii dignitatem ascensurus Fidem Baptismi afferat, ut constet de anno vigesimo quinto incepto: Fidem etiam præbeat, suorum anteà susceptorum per se, & non per alios obiisse Ordinum munera, maximè præcedentis in Nostra Cathedrali, præter alia supradicta *num.* 4. *et* 5.

CA-

VI.

Potest proprius Episcopus, non tamen citra justam, & urgentem causam, dispensare in interstitiis, ut docet Trid. sess. 22. De reformat.*cap.* 11. 12. 13,*&* 14.

CAPUT XI.

De Sacramento Matrimonii.

I. MAtrimonii Sacramentum signum est conjunctionis Christi, & Ecclesiæ secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia*. Causa efficiens regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii: Primum est Proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei; Secundum, Fides, quam unus conjugum alteri servare debet; Tertium, Indivisibilitas Matrimonii propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi, & Ecclesiæ; Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum illius vinculum, legitimè contracti, perpetuum sit. Ut igitur ejus dignitatem fideles agnoscant, & quæ ad illius pertinent officium, inviolatè observent, sequentibus regulis tùm ex Tridentino depromptis, tùm ex Nostris Prædecessoribus, ad Sacramentum hoc suscipiendum, ac celebrandum spectantia observari mandamus.

II. Præcedant omninò Matrimonium contrahendum in faciem Ecclesiæ Denunciationes tres ad præscriptum Sacrorum Canonum, & in populi conventu publicentur a Parocho inter Missarum solemnia diebus festis non consequentibus, ne Nuptiæ a canonicè impeditis celebrentur. Denunciatorum nomina, cognomina, Patria, & Parochia describantur in tabella valvis Ecclesiæ affixa. Quod si fortè impedimentum aliquod, etiam dubium, deferatur; desistat Parochus a denunciationibus, si qua supersit adhuc facienda, & Nos, vel Nostrum Vicarium certiorem faciat.

III. Sponsis diverso in domicilio degentibus, in utraque Parochia fiant denunciationes, & utriusque Parochi illarum testimonium, vel impe-

II.

Conc. Generale XII., *quod est Lateranense* IV. *sub Pontifice Innoc. III. can.* 51.

Cap. Cum intrà, De Sponsal.

Cap. 1. & finali, De Cland. Desponf.

Trid. Sess. 24. De Reformat. Matr. *cap.* 1.

Rit. Rom. in Rubr. De Matr.

Cap. Cum inhibitio, De Clàndest. Desponf.

Asprella fol. 3. num. 29.

Quintius fol. 3. num. 17.

Nerius cap. 4.

Nepita hoc tit.

III.

Syn. Diœc. Emin. Cantelm; num. 8. *ex Rit. Roman.* §. Si verò.

Conc. Prov. S. Caroli lib. 4. *tit. cap.* 5.

S. C. Inquis. 17 *Sept.* 1661.

Asprella loc. cit. n. 30.

Centinus in II. Syn. c. 5.

Nerius loc. cit.

impedimentorum defectus exhibeant. Verùm si Sponsi exteri sint, vel diù a Diœcesi absfuerint, nullatenus habeantur a Parocho denunciationes, nisi discussis anteà per Nostram Curiam status liberi documentis, servata forma Instructionis, & S. C. Universalis Inquisitionis.

I V. Nunquam proclametur in Ecclesia Matrimonium, nisi post diligenter exploratam a Parocho utriusque Sponsi voluntatem inter se contrahendi, & mutuam præstandi consensus libertatem. Cautè verò in hujusmodi perscrutatione se gerat; neque Testes, neque Sponsus uterque sint præsentes; & solummodò interroget, An velint denunciationes fieri de Matrimonio contrahendo.

V. Ut aliàs Synodali Decreto statutum reperitur prò decenti Ritu hujus Sacramenti, denuò prohibemus sub pœna Parochis imponenda, ne illud in privatis ædibus celebretur. Moneantur pariter

I V.
Rit. Rom §. Hos autem.
Conc. Prov. S. Car. loc. cit.
Cap. Cum inhibitio, De Cland. desp.

V.
Ad mentem Trid. Sess. 7. De Sacr. in genere.
Syn. Prov. Emin. Cantelmi pag 138.

I. Syn. Emin. Philamarini 1642. *decr.* 3.
II Syn. Ejusdem 1644. *decr.* 2. *hoc tit.*
VII. Ejusdem 1662. *Decr.* 5.
Asprella loc. cit. num. 30.
Gallus, & de Iuliis hoc tit.
Nerius cap. 4.

pariter contrahere volentes, ne ipsius gratiæ se indignos reddant, sed religiosa animi præparatione, Pœnitentia & Eucharistia sanctificati, ut uberiores mereantur fructus, ad illud accedant.

V I. Quia solet sæpius evenire, post denunciationes illis tribus festivis diebus proclamatas non illicò Matrimonium in faciem Ecclesiæ celebrari; ideò Parochis mandamus sub pœnis Nostro arbitrio statuendis, ut, si elapsus sit mensis a die postremæ publicationis, & Matrimonium contractum non fuerit, non audeant eidem interesse, nisi denunciationes repetantur, vel aliud Nos censuerimus.

V I I. Nullimodè ad contrahendum Matrimonium admittantur ignorantes Fidei rudimenta, Symbolum videlicet, Decalogum, Ecclesiæ Præcepta, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & septem Sacramenta; sed si quos Parochi prædictorum inscios invenerint, studeant diligenter instruere: cum ad ipsos pertineat ex Triden-

V I.

*Rit.Rom.§.*Si verò.

Conc.Mediol.III. S. Caroli hoc tit.

Asprella loc.c.num.33.

III. Syn. Emin. Philamarini 1646. *Decr.6.*

V I I.

Conc.Mediol.S.Caroli V. par. 3. hoc tit. & in Instruct.Matr. ejusdem S Caroli tit. De Paroc. diligentia.

*Trid.sess.*24 de Refor. Matr. *cap.*1.

Syn.Prov.Surr hoc tit.

Tridentini præſcripto Populos eorum curæ concreditos inſtituere de Sacramenti hujus gravitate, & effectibus; aliàs, qui hæc neglexerint, ſeveriores pœnas Noſtro arbitrio infligendas ſe ſe ſubituros intelligant.

VIII. Meminerint Parochi, a prima Dominica Adventus uſque ad Epiphaniæ diem, & a feria quarta Cinerum uſque ad Octavam Paſchatis incluſivè prohibitas eſſe Nuptiarum ſolemnitates, uti etiam eaſdem benedicere, Sponſamque cum ſonitu, choreis, & cantu traducere; aliter exequentes pœnis Noſtro arbitrio juxtà Prædeceſſorum Noſtrorum ſtatuta punientur.

IX. Vt aliquorum petulantia coerceatur, qui antè Sponſalium, ac Matrimonii celebrationem audent carnali inter ſe copula cognoſci: ut etiam proximo Animarum periculo, gravique aliorum offenſioni conſulatur, Mandamus ſub

---

VIII.

x *Conc. Laodicenum ſub Liberii Pontificatu, et Iuliani Imperio can. 52. et 53. vetat per Quadrageſimam Nuptias celebrari, et a Nuptiis ſaltationes et choreas; quia non eſt conveniens publica lætitia cum luctu et pænitentia. Solùm permittit modeſta convivia, cùm Chriſtus Dominus noſter interfuerit convivio Nuptiarum in Cana Galilææ.*

IX.

Rit. Rom. §. Moneat Parochus:

Aſprella num. 66.

Centinus in II. Syn. cap. 5.

Gallus hoc tit.

De Iuliis cap. 12.

ſub pœnâ excommunicationis, cujus abſolutionem Nobis reſervamus, tàm reſpectu ipſorum, quàm Conſanguineorum, ne ſub ſimulato, vel etiam vero Nuptias paciſcendi prætextu Sponſus ſive ſimulatus, ſive verus cohabitationem in mulieris domo, vel pernoctationem, etiam unica tantum vice, vel mulier in Domo viri perficiat. Quia verò iſtiuſmodi abuſus latè per Diœceſim graſſatur, Parochis injungimus, ut prò ſua prudentia, & pietatis officio ſtudeant liberiorem hanc peccandi libidinem profligare, ſalubriter admonendo, ut hujus Decreti obſervantiam omnes non omittant, & quantociùs poſſint, per verba de præſenti Matrimonium contrahant.

X. Cum nullum maleficium ſit hodiè frequentius illo Ligaminis, adeò ut vix audeat quiſque clara luce Matrimonii ſolemnia celebrare, cum nonnulli quibuſdam verbis, & ligulis Conjugum votis illudant. Quod maleficii genus ut eradamus, & ultionem divinam ab hac Noſtra tàm dilecta Civitate relegemus, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, cujus abſolutionem Nobis reſervamus, ſeriò interdicimus,

X.
Can. Per ſcortiarios 23. *qu.* 13.

Palma num. 15.
Aſprella num. 74.

mus ; ne committatur , aut procuretur , aut persuadeatur , aut consulatur ; præter alias pœnas indictas a Greg. XV. in Const. quæ incipit, *Omnipotentis Dei.*

X I. Qui sinè legitimis , ac debitis denunciationibus , & solemnitatibus a Sacrosancta Tridentina Synodo præscriptis , vel cum inobservantia Ritus Nostræ Curiæ , & si coram Parocho simulatè accersito , sive fraudulenter , ac violenter adducto Matrimonium per verba de præsenti inter se contrahere præsumpserint tàm Viri , quàm Mulieres , eisdemque auxilium , vel consilium præbentes , sint ipso jure excommu-

 nica-

X I.

Trid. loc. cit.

Cap. Cum inhibitio, de cland. Despons.

Palma num. 14.

Nepita hoc tit.

Asprella num. 72.

Si autem in præsentia Parochi inviti Matrimonium contrahatur, valet ; non enim exigit. Sacra Synodus consensum , sed solam præsentiam Parochi , & testium. ut per hæc obvietur matrimoniis furtivis & clandestinis. Id confirmatur per legem Coram Titio ff de verbor. signif *ubi jussus aliquid facere coram Titio, declaratur conditionem adimplevisse , si Titio præsente & sciente fecerit , licet invito , & dissentiente . Et in hoc summistæ consentiunt. Sanchez* de matrim. disp. 19. *Filliucius* tract. 10. cap. 6. num. 225. & 226. *Conink* disp. 27. dub. 4 conclus. 3. *addens hanc esse communem Doctorum sententiam. Fagnanus quoque* In cap Quod nobis , De clandest. despons. num. 43. & sequentibus *istud idem alia ratione confirmat , eo quod Parochus non sit hujus Sacramenti minister : quo casu ejus requireretur consensus ; sed solùm testis præcipuus , ac necessarius , ad quod sufficit sola per sui præsentiam notitia : citatque his conformem Congregationis Cardinalium decisionem.*

nicati. Si quis verò Parochus, aliusve legitimus Minister præfatis modis contracto malitiosè, vel ex supina negligentia adstiterit, pœna ducatorum centum a Nostris Prædecessoribus statuta plecti volumus, præter alias graviores arbitrio Nostro reservatas, & in Ecclesiæ subsidium applicandas.


X I I. Tridentini vestigiis inhærentes hortamur Conjuges minimè in eadem domo habitare, nec Matrimonium consummare, nisi vel ipso die solemnitatis ejusdem, vel alio quopiam (non tamen ultrà mensem) benedictionem Sacerdotalem in Templo a proprio tantùm Parocho susceperint; modò fœmina non dum sit benedicta. Quod si quis alius Presbyter sine Parochi facultate benedicere ausus fuerit, pœnis a jure statutis se mulctandum sciat.

X I I I. Ut illorum impudentissimum scelus profligemus, qui soluti concubinas habere, & conjugati in eodem damnationis statu vivere non verentur, etiam de speciali Tridentinæ Synodi dispositione, & vestigiis Prædecessorum Nostro-

X. I I.
Trid. loc. c.
Can. Aliter 30. *qu.* 6.
Can. Sponsus *dist.* 23.
Cei s n s decr. 11.
Nerius de Iuribus Parochorum, § Promissa.

X. I I I.
Can. Is qui *dist.* 34.
Trid. Sess. 24. De Refor. Matr. *cap.* 8.
Syn. Prov. Neap. cap. 40.

Nostrorum inhærentes, si trina monitione præmissa se se a mutua consuetudine non sejunxerint, excommunicationis sententia volumus eos compesci; & nisi Nobis de omnimoda separatione plenè constiterit, absolutionis beneficium nullatenus impertiemur. Quòd si per annum, censuris neglectis, in præfato concubinatu permanserint, prò criminis qualitate contra eos, etiam ut quasi de hæresi suspectos, procedemus:



PARS SECUNDA.

De Rebus, ac Muneribus Ecclesiasticis.



ON minus Nobilis, quàm extremus Dux Judaici exercitus Judas Machabæus (*a*), videns profanatum Templum, atque conspurcatum: Occupaverat enim illud Antiochus, ac ita perdiderat, ut in atriis virgulta nata essent asperiora, ultrà quàm in saltibus, & montibus inviis nasci solent: id, inquam, videns factum, elegit Sacerdotes, habentes voluntatem Legis Dei, ut coacti id sedulò mundarent. Quotannis etiam designato die solemnitatem encæniorum summo cum honore agebant, quam Christus sua præsentia decoravit, quemadmodum in Evangelio S. Joannis (*b*) reconditum habemus; Propterea Nos præsentibus monitis quammaximè commendamus tunc debitam Ecclesiis sanctitatem, tùm Sanctissimis Ministeriis, quæ in eisdem ad Divinæ

(a) 1. *Machi.* ; (b) *Joan.* 10.

næ Maiestatis honorem exercentur, venerationem; imò maiori, quo debet, cultu venerari & adimpleri omnia & singula exhortamur.

CAPUT I.

De Sacrosanctis Ecclesiis.

I. Templa, quæ Domus Dei sunt, ac Cœli portæ, cum in Altissimi, ac Sanctorum ejus venerationem sint electa, & fundata, Religioso, ac sublimi debent decore effulgere; ut Divinæ Beneficentiæ dona in illis abundantiùs possint Fideles impetrare, in quibus speciali ritu suum ineffabile Nomen voluit sibi Dominus consecrari. Vt igitur nihil Æternæ Majestatis læsivum in Domo Dei reperiatur, sequentibus staturis Ecclesiarum decori consulere adnitemur.

II. Nullus audeat Ecclesias, Oratoria publica

I I.

VII. Synodus Oecumenica, quæ est Nicæna II. can. 7. Personarum Monasticarum frequentem illo seculo abusum reprobat, quæ cum in Monasteriis propriis subesse nolint, nova construere aggrediuntur, quibus præficiantur. Prætereà inhibet Episcopis, ne novas Ecclesias, aut Oratoria extrui permittant, nisi suppetant, quæ ad perfectam fundationem sufficere possint.

Can. Ecclesiæ, vel Altaria.

Can. Placuit *dist.* 1.

Can Nemo, *Can.* Ecclesias pro

blica, Cappellas, & Monasteria ædificare, sive Altaria de novo erigere, aut erecta destruere, vel aliquid Fabricæ, vel Picturæ, aliudve simile innovare sine Nostro consilio & facultate. Altaria, si quæ sint erigenda, dotem habeant a Nobis comprobatam, certam, liberam in instrumento cum inserta facultatis forma a Nobis obtentæ, & cautè firmatam manu Notarii publici, cujus documenta in Actis Nostræ Curiæ commendentur, sub pœna viginti quinque librarum ceræ piis usibus applicandæ, & in subsidium excommunicationis.

III. Nullus cujusque generis sclopis, etiam ad venationem adhibendis, audeat Ecclesiæ Majestatem illis instructus ingrediendo offendere, non solùm cum Sacrificia, aut divina peraguntur Officia, sed alio quocumque tempore, sub pœna amissionis armorum; & si contumaces restiterint Parocho, aut alteri Sacerdoti

---

prò congrua, *Can.* Clericos qui, *Can.* Nullus Presbyter, de Consecr. *dist.* 1. *Cap.* Cum olim, §. Insuper, de Privilegiis. *Can.* De Monachis, 18. *quæst.* 2. *Cap.* 1. De Censib *Cap.* Cum sicut, de Consf. Eccl. vel Altar.

Syn. Prov. Surr hoc tit.

Asprella de cultu Ecclesiarum.

III.

Cap. Decet de Immun. Eccles. in 6.

Pius V. const. Cum primum.

Syn Prov. Surr. hoc tit.

Asprella num. 35.

Cintinus in II. Syn. cap. 51.

Nerius cap. 6.

cerdoti, cujus curæ erit Ecclesia, illicò Nobis resistentia, & contumacia referatur.

IV. In quavis Ecclesia, præsertim dum divina celebrantur Officia, vel expositum adoratur Sanctissimum Sacramentum, prohibemus juxtà Decretum Alexandri VIII. immoderatas confabulationes, solutos risus, deambulationes indecoras, omnesque alios indignos actus, qui Domum Orationis dedecent. Nec non actus judiciales, & contractus quoslibet, qui in ipsa fierent, infirmamus, præter alias pœnas Nostro arbitrio infligendas.

V. Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ

IV.

Conc. Generale XIV. & Lugdunense II. sub Gregorio X. can. 25 *providet Ecclesiarum veneratio tioni, et prohibet intrà eas universitatum, et societatum quarumlibet concilia, conciones, et publica parlamenta. Vetat insuper confabulationes quascumque, atque in eis, nec non in cæmeteriis, negotiationes, nundinas, & cujuscumque fori tumultus, omnesque judiciorum secularium strepitus. Statuit demum, ut processus Secularium Judicum, et Sententiæ iisdem in locis prolatæ careant omni robore. Legitur verò in cap.* Decet de Immun. Eccles. *in* 6. *Domum quippè Domini decet sanctitudo. Ps. al* 92. *Est namque Domus Orationis.* Deut. 14. Isa. 15. Ierem. 7. *Idcòque etiam verberibus de Templi porticu negotiatores Christus exegit.* Matth. 21.

V.

Cap. Decet de Immun. Eccles. *in* 6.

Trid. Sess. 22. *Decr.* De Obser. & evit. in Celebr. Miss.

Can. Ecclesiis, de Cons. *dist.* 1. *Cap.* Proposuisti, *et fin.* de Consecr. Eccles. vel alt. *Can.* Diffinivit 17 *quæst.* 4. *Pius V. const. cit.*

Nerius loc. cit.

Nepita De Rever. deb. locis Sacr.

tentiæ Nobis reservatæ mandamus omnibus; ne in Ecclesiis, vel Publicis Oratoriis tàm Secularium, quàm Regularium, earumque Schalis, Atriis, Sacellis, Cæmeteriis, aliisque locis adiacentibus, & immunibus præsumant tumultus, clamores, rixas excitare, aut homicidia, membrorumque mutilationes, committere; Nec non quolibet ludi genere in eisdem Atriis, & Porticibus, non servata viginti passuum distantia, ludere: ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.

V I. Quia potest aliquandò accidere in Sanctorum festivitatibus, quæ majori pompa, ac cultu solemniori celebrantur, Militiam instructo armorum agmine Ecclesiam introire; præcipimus sub pœna interdicti ejusdem Ecclesiæ, & excommunicationis militibus, eorumque Consiliariis, ac fautoribus, ne tanta audeant libertate Sanctissima Loca animarum offensione contemnere, in illa turmatim ingredientes. Omnibus & singulis etiam Rectoribus, Custodibus, Sacristis, seù quibusvis aliis Ecclesiarum Præfectis sub arbitraria pœna injungimus, ut graviter commoneant, si quos Ecclesiam videant

introire

V I.
Nerius loc. cit.

introire, aut ad summum assistere tecto capite, cum biretis albis, vel alius coloris.

V I I. Nemini liceat novas non benedictas Campanas in Sacris Turribus collocare, sub pœna interdicti Ecclesiæ. Eædem, cum sint benedictæ, Ecclesiasticis tantùm functionidus dicatæ, & pulsandæ sint ad convocandum populum prò cultu divino, vel ad excitandum, ut oret, neutiquam ad profanum usum adhibeantur; Ideò congruis horis prò Deipara salutanda pulsentur in Aurora, Meridie, & post Solis occasum ad Indulgentias lucrandas, juxtà Breve Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papæ XIII.: Prò defunctis etiam circà primam noctis: vicesima prima cujuslibet feriæ sextæ cum triginta ictibus ad memoriam Dominicæ Passionis: aliisque sacris necessitatibus.

V I I I. Claves Ecclesiarum; & Campanilium in posterum detineantur solùm a Personis Ecclesiasticis, a quibus lampades antè Sanctissimum Sacramentum accendantur, & vestes, ac sacra suppellectilia custodiantur, &

P tracten-

V I I.

Pontif. Rom. par. 2. *tit.* de Reconc. Eccles. *Et in Rubr. de* Bened. Camp.

Nerius loc. cit.

Nepita de Parochis.

S. Rit. Con. in Aprutinensi 5. *Jul.* 1614.

V I I I.

Can. Sancta, *Can.* Vestimenta de Cons. dist. 7.

tractentur, sub pœnis arbitrio!

IX. In nullis Ecclesiis, aut Oratoriis publicè exponatur Sanctissima Eucharistia, nisi expressa Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis licentia præcesserit, neque ex publica causa, nisi a Nobis approbanda, prò ut etiam Regularibus prohibitum est ex decreto Sac.Rit.Congregationis in Neapolitana sub die 17. Augusti 1630. Ne ex nimia frequentia, & quacumque levi causa id fieri contingat cum exiguo populi conventu.

X. Feria V. in Cęna Domini Sepulcrum, ubi reponitur Sanctissimum Sacramentum, clavi obseretur, quæ detineatur per Sacerdotem in crastinum celebraturum, vel per Curatum, juxtà dispositionem cęremonialis Romani sub pœnis

---

IX.

S. R.C.in Neapolitana 24.Julij, 1659.& S.C.C. in Neapolitana 17. Aug. 1631. tenore sequenti: Sacra Rituum Congregatio sæpius censuit, non licere Regularibus,etiam in eorum propriis Ecclesiis, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo Sanctissimum Sacramentum è Tabernaculo non extrahatur, & sit velatum, ità ut ipsa Sacra Hostia videri non possit.

Syn.Neap.Emin.Cantelmi par. 1.cap.4.num.24.

Nepita De Cultu Ecclesiarum.

X.

S.Rit.Con.15.Dec.1632.
In Hispal.28.Mar.1637.
In Calagur.13,Sept.1642.
Nepita loc.cit.

pœnis arbitrio; & sub eisdem pœnis Sepulcrum in dicta feria V. construatur ab eo, ad quem spectat, in qualibet Ecclesia hujus Civitatis, & Diœcesis, in qua asservari solet Sanctissimum Sacramentum.

X I. Ecclesiastici sive Seculares; sive Regulares tàm in Ecclesiis, quàm in Oratoriis sine Nostra facultate, & coràm Nobis anteà præsentati, neque prædicent, neque sermocinentur sub pœna excommunicationis quoad Nostros subditos: quo ad Regulares verò interdicti Ecclesiæ, præter alias contentas in Tridentino *sess.* 5. *de refor. cap.* 2. & *sess.* 14. *cap.* 4.

X I I. Cappellani tàm perpetui, quam adventitii in Ecclesiis, sive Cappellis, ubi Domini-

X I.

Conc. Viennense Generale xv.

Greg. xv. *const.* 18. Inscrutabili.

Clemens x. *const.* 7. Superna.

Nerius cap. 6.

X I I.

Syn. Prov. Surr. De pertinentibus ad Missæ celebrationem.

Nerius cap. 5.

Ex Concil. Turonico II. in can. 18. *dignum circà jejunia observatu invenitur, diebus jejuniorum Missam differri solitam ad horam octavam, quia hora nona, & non ante licebat in jejuniis extrà Quadragesimam cibum capere. Incidebat autem nona in tertiam post meridiem horam. Quod verò attinet ad horam refectionis seu cœna per Quadragesimam, ea differebatur in vesperam, qua in horam a meridie sextam incurrit. Meridies verò incurrebat in horam sextam veterum. Quo factum est, ut quamvis hora cœna jejuniorum hodiernorum multum præ illo veteri ritu soleat anticipari, decantentur nibilominus vespertinæ Preces* per

minicales, & festivas celebrant Missas; diebus Dominicis doceant Populum Festa de præcepto, vigilias, & jejunia, ad quæ ex obligatione, vel consuetudine tenemur, sub pœna trium librarum ceræ piis usibus applicandæ. Iidem animadvertant; cum eorum Ecclesiæ, aut Cappellæ interdicto subjaceant, Missas translatas celebrandas esse in Parochialibus respectivè Ecclesiis, non verò in aliis, neque alio die a constituto in fundatione:

XIII. Die Natalitia Domini Nostri Jesu Christi, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Domini

per Quadragesimam ante refectionem, atque adeò ante meridiem, non autem in reliquis per annum jejunijs. Non veteres hora, quæ nobis est post meridiem sexta, vesperas decantabant: indeque Quadragesimalibus jejunijs ad refectionem, hoc est cœnam prodibant.

Id sanè fatendum, ab aliquot seculis fervorem Christianorum multum deferbuisse, ideoque Ecclesiam de pristinæ disciplinæ severitate plurimum remisisse; quatenus fideles in deteriora lapsi ejus districtionis jugum è proprijs cervicibus excussissent, si pia Mater eos voluisset ad hoc astigere, quod melius & animabus curandis salubrius fuisset. Hinc pessum iverunt publicæ antiquorum pœnitentiæ, & Canonum adversùs peccatores præscripta pœnalia: hinc jejuniorum miræ relaxationes, tùm horam præscriptam longè anticipando; tum comessationem antea prohibitam jejunijs interserendo, tum xerophagias, id est ex can. Lodiceno 50. siccos cibos, circa edulioru, & potus substantiam ferè omninò abolendo. Hæc de jejunijs antiquis; consulant noviora moderni.

XIII.

Centinus in II. Syn. §. Diebus iis.

Gallus De Bened.ct., & Missis.

Domini, Assumptionis B. Mariæ Virginis, & D. Cataldi præcipui hujus Civitatis Patroni, in quibus solemniter ex Nostri Pastoralis muneris debito celebrare debemus, mandamus Cappellanis hujus Cathedralis Parochiæ, ut tantum in ipsa Missæ Sacrosanctum peragant Mysterium, sub pœna trium librarum ceræ, moderantes eam interdicti, & aliam arbitrariam. Si verò aliqui prò necessitate aliud arbitrentur, Nobis, vel Nostro Vicario Generali consilium sincere exponant.

C A P V T II.

De Celebratione Missarum.

I. MUlta, & gravia prò Sacrosancto Missæ Sacrificio sancivit Synodus Tridentina; Et enim cum in quibusdam administrandis nonnulla essent, quæ non ritè omninò, ac rectè servarentur, accuratissimè curavit, ut purè illa, & castè, atque ex more, institutoque majorum tractarentur. Ità omnem superstitionem, omnem quæstum, omnem irreverentiam a Divina Missarum celebratione abstulit: vagis, ignotis

I. *Trid. sess. 22. cap. 1. & seq.*

tis, & criminosis Sacerdotibus Santum hoc offerre Sacrificium interdixit: Rei hujus sacratissimæ usum a privatis Domibus, & profanis in sacra, & religiosa loca revocavit: molliores cantus, & symphonias, deambulationes, colloquia, negotiationes a Templo Domini submovit; ut in omnibus Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech, Dominum Nostrum Jesum Christum, imbecillitate Levitici Sacerdotii destituta, adamussim imitemur: Ad hoc igitur Sacrificium, in quo Sanctissimo Christi Sanguine, Almique Corporis membris pascitur Sacerdos, debita religione accedamus

II. Non sinè animi Nostri dolore audivimus, nonnullos Sacerdotes tàm cursim Mysterium istud consummare, ut persæpè horæ quadrantem non attingant, & Sacras cæremonias vel lıberè omittant, vel indecorè penetrent, sive involvant. Tantam Nos irriverentiam extirpare volente commendamus omnibus, & singulis, ut Rubricas Missalis Romani ad unguem observent, verba moderatè, & intelligibili voce proferant, atque ea, qua decet, animi corporisque compositione Sacri-

II.
Trid.sess.22.Decr. De Obser. & vit.in celebr. Miss.
S.Pius v.*const.*Quoprimum, *pridie Idus Iul.*1570.
Syn.Prov.Syrr. De pertinentibus ad celebr.Miss.
*Asprella num.*39.
*Nerius cap.*7.

Sacrificium conficiant. Qui secùs egerit; utpotè Sacerdotali indignus Ministerio prò Nostro arbitrio ab ordinis exercitio suspendetur.

III. Ad tenorem literarum S. C. Sancti Officii sub die 11. Augusti 1649. nullatenus admittantur ad Missæ celebrationem Sacerdotes exteri, vagi, peregrini, & ignoti, nisi de Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis facultate; & quo ad Seculares, nisi anteà cognitis eorum Dimissorialibus, quæ si fuerint nimis obsoletæ, corroborentur per fidem Ordinarii loci, ubi aliquo permanserint temporis intervallo: quo ad Regulares verò, præsentatis anteà suorum Superiorum

III.

Cap. Extraneo, cum duobus seq.

Cap. Tuæ Fraternitatis, de Cler peregr.

Syn. Prov. Surr. loc. cit.

Asprella num. 40.

Centinus in II. Syn. cap. 2.

De Iuliis cap. 17.

Nerius loc. c. & cap 7.

Sine literis dimissoriis, a proprio Episcopo obtentis nullus Clericus ab alio potest ordinari; juxtà Concilii Sardicensis canones 18. & 19. Quinimò neque jam susceptos Ordines alibi exercere, juxtà Apostolorum canones 15. & 16. Neque ipsis fas est Episcopis longiùs peregrinari, vel in Aulam proficisci absque dimissoriis Metropolitani sui, vel Provincialis Synodi, juxtà Sardicensis canonis 8. prascriptum Zosimus Pap. in epist. ad Episcopos Galliæ *injungit omnibus Romam ex Gallia profectu-is Episcopis, ut formatas ab Arelatensi Episcopo accipant: Et can. 28.* Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ Sedis Episcopo suæ cujusque Provinciæ, ut ab eo præcipuè sumere possint formatam, *idest Canonicam Literam; & juxtà Zonaram ad can. 23. & Balsamonem ad can. 26. Carthaginenses, sive Africanos, Literam dimissoria*

petiorum obedientiæ literis, sub pœna interdicti Ecclesiæ, in qua fuerit celebratum; moderata pœna suspensionis a Divinis ipso facto addicta Parochis, & Sacristis; qui tamen si permiserint citrà præfatam cautionem, ac vestem talarem tàm Exteros, quàm subditos celebrare, sex ducatorum pœna mulctabuntur.

IV. Eidem pœnæ subjaceant, si id etiam illis Sacerdotibus permittant, qui licet Nostræ Jurisdictioni non sint subjecti, possident tamen hic Bona stabilia, seù domicilium habent, & majori anni parte, sive æstivo tempore in hac Civitate commorantur. Sed si celebrare non subditi in Cappellis, Sacristà carentibus, præsumpserint sinè Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis facultate, & habitu talari, juxtà Literas Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papæ XIII., pœnæ ducatorum sex piis usibus applicandæ subjacebunt prò qualibet transgressione.

V. Vt autem manifestò appareat Celebrantium

IV.

Ad Missal. Rom. in Rubr. tit. De Præpar. Sacerd.
Trid. sess. 13. cap. 7 & can. 11.

V.

Ex lit. S. C. C. de mand. Alex. VIII. *die 15. Dec. 1663.*
Syn. Emin. Cantelmi num. 16. hoc tit. Conc. Prov. Neapolitanum *cap. 24. num. 13.*

tium Pietas, ac fidelitas, sit in qualibet Sacristia duplex liber, in quorum altero Missæ perpetuæ, in altero adventitiæ adnotentur, adjunctis onere, die, in quo Altari, ac Nominibus eorum, pro quibus sint celebrandæ. Si quis autem non dictam mendaciter ibi adscripserit, vel falsam fidem, etiam privatam, de satisfactione fecerit suspensionem ipso facto incurrat.

V I. Beneficiati, & Cappellani, qui ad onera Missarum tenentur, illas non alibi celebrent, nisi in Ecclesiis, & Altaribus, in quibus a Fundatore, & Benefactore præscriptas habuerint, quocumque prætextu, etiam necessitatis alterius Ecclesiæ, vel consuetudinis loci. Aliter exequentes sine efficaci ratione a Nobis probanda ex Fundationis instrumento, sciant prædictis non satisfacere oneribus, atque ad fructuum restitutionem teneri, veluti si illas minimè celebrassent. Sciant pariter, nec ipsis licere prætextu diminutionis redditum Missarum numerum a Fundatoribus, vel Prædecessoribus Nostris firmatum diminuere; sed tali eventu

V I.
S. Con. Conc. 4. August. 1624.
Conc. Prov IV. S. Caroli par. 2. hoc tit.
Syn. Emin. Cantelmi num. 18. hoc tit.
Nepita in Syn. de Celebrat. Miss.

ad Sanctam Sedem Apostolicam recurrendum esse.

V I I. Parochi Ecclesiarum, in quibus non possunt Sacristæ haberi, quolibet anno in fine mensis Novembris exhibeant Deputatis, vel Deputandis a Nobis prædictos libros satisfactionis Missarum, & onerum super ipsarum adimplemento; qui vicissim Deputati referant Nobis in solita Congregatione, ut quid fuerit expediens, provideatur.

V I I I. E Sacristia, in qua, si fieri potest, sit locus segregatus prò genuflexorio, devota imagine, & tabella cum Precibus præparatoriis ad Sacrificium, nonnisi præcedente Ministro pedem efferat Sacerdos ad celebrandum; & ita vultu, atque incessu vestibus indutus prodeat, ut ad tantum munus peragendum non ineptè incedere videatur. Singulis indumentis addictas numquam prætermittat Orationes, & Missam anteà perlegat, tùm prò Indulgentiis consequendis, tùm ne ulla in Sacra actione

V I I.

Ex Conc. IV. S. Caroli par.2. hoc tit.

Syn. Prov. Surr. loc. cit.

Girondus in Syn. §. Missarum.

Centinus in II. Syn §. Parochi.

Nerius loc. cit.

V I I I.

Syn. Prov. Surr. hoc tit.

Nepita loc. cit.

Centinus in II. Syn. cap. 12.

actione mora, vel hæsitatio contingat.

I X. Licet in Sancta Ecclesiarum Visitatione, atque in singulis earum opportunè providere curavimus decori, ac munditiæ requisitæ in Sacris vestibus, & vasibus prò Missæ ministerio; præsenti tamen Decreto præcipimus, ut vestes prò Sacrificii celebratione non sint laceræ, attritæ, corrosæ, & contaminatæ, sed integritatem, & honestatem, in omnibus exhibeant:

Q 2 Ami-

I X.

Can. Vestimenta. *Can.* Ut Calix de Conf. *dist.* 1.

Cap. Relinqui, de Custod. Euchar.

Syn. Emin. Cantelmi num. 14. *hoc tit.*

Conc. Triburiense can 18. *sancivit*: Vasa in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt & patenæ, de quibus Bonifacius martyr, & Episcopus interrogatus, si liceret in ligneis vasculis Sacramenta conficere? respondit; Quondam Sacerdotes aurei ligneis vasculis utebantur; nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus. *Zephirinus Papa patenis vitreis Missas celebrari constituit. Deindè Vrbanus I. omnia sacri ministerii vasa fecit argentea. In hoc enim, sicut in reliquo cultu, magis ac magis per incrementa temporum splendor succrevit Ecclesiarum*; Statuimus, *inquit*, ut deinceps nullus Sacerdos Sacrum Mysterium Corporis, & Sanguinis Christi Domini in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat. *Citatur in can.* Vasa in quibus sacrosancta, de Conf. dist. 1. *Hieronymus* epist. ad Rusticum, *sic testatur de contemporaneo sibi Exuperio Tolosatium Episcopo*: Nihil illo ditius, qui Christi Corpus in canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro. *Desumptus ex Conc. Remensi sub Carolo Magno Canon*, Ut Calix de Conf. *dist.* 1. *probibet usum calicis vitrei ob materiæ fragilitatem. Et Cyprianus in vita Casarii Arelatensis inquit*. An non in vitro habetur sanguis Christi?

Amictus, Mappæ, Pallæ, Corporalia; & Purificatoria nitida, ac dealbata: ac denique Calices, & Patenæ integræ, & deauratæ, sub pœnis arbitrio.

X. Ad Sacrum Presbyratus Ordinem promotus non audeat primam Missam celebrare, nisi affatim de Cæremoniis edoctus a Viro deputando a Nobis; & quæ in Canone Secreta dicuntur, memoria teneat, ac præparationes in promptu habeat.

X I. Prima die non impedita post Commemorationem omnium Defunctorum in Nostra Cathedrali Ecclesia fit Sacrum solemne prò Episcopis, Canonicis, & Sacerdotibus defunctis hujus Diœcesis, cui singuli prò mutua charitate interesse tenentur, etiam ad Officium decantandum in Choro, & Missam pro iisdem celebrandam, quam in libro præparato conscribant; ut suffragium, quod aliis præstiterint, ipsis etiam in posterum præstetur.

X I I. In Cathedrali, vel Parochiali Ecclesia, ubi plures celebrantur Missæ, nullus regulariter

X.
Trid.sess.22.dec.cit.
Syn.Prov.Sarr.loc.cit.
Asprella cap 5.
X I.
Girondus in Syn. 5. Decet.
Centinus in II.Sy.cap.4.
De Juliis cap.5.
X I I.
Syn.Prov.Sarr. loc.cit. & tit. de Offic.Sacris.
Centinus in II.Syn.cap.2.

lariter ad Altare celebraturus accedat, nisi propè finem Præcedentis; & Successivè; ne Fideles ad longinguam locorum distantiam Sacrificio priventur. Quam ob causam pluries mandavimus in S. Visitatione locali, & hac præsenti Constitutione firmamus, Missas ità distribui a Parochis, vel Sacristis, ut Sacerdos Beneficiatus, modò non sit Canonicus, non Beneficiato præferatur; tunc ille aut Canonicus, aut Beneficiatus prior ad celebrandum accedat, deindè alter, sub pœnis Nostro arbitrio Sacristæ transgredienti: nisi Ecclesiæ necessitas, tempus, & populi multitudo in majoribus solemnitatibus aliud expostularet, præsertim die Natalis Domini Nostri Jesu Christi, cujus noctè non liceat Fidelibus, præcipuè Mulieribus Sacram Eucharistiam ministrare.

X I I I. Inhærentes Decretis S. Con. Conc. *De Celebratione Missarum* authoritate Urbani VIII. editis, aliisque per Nostros Prædecessores emanatis, prohibemus sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ Capitulis, & Collegiis, ne

acce-

X I I I.

S. C. C. sub Vrbano VIII. const. 93 Cum sæpè contingat. 21. *Iun* 1625.

Innocentius XII. *in Bulla* 23 *Ian.* 1697.

Centinus in II. Syn. cap. 4.

Nepita de Celebr. Miss.

acceptent onera Missarum perpetua sine Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis licentia in scriptis obtinenda, post quàm constiterit, posse Sacerdotes tàm novo oneri suscipiendo, quàm antiquis susceptis satisfacere, & quod redditus respondeant oneribus adjunctis secundum consuetudinem Diœcesis, ne Defunctorum Animæ ex impossibili onerum implemento dispendium patiantur, & Testatores intentione frustrentur.

X I V. Reductionem Missarum a Prædecessoribus Nostris ad Carolenum cum dimidio prò qualibet Missa in Beneficiis erectis, atque erigendis auctam prò Ecclesiasticis Nostræ Diœcesis, prò Exteris ad carolenum unum confirmamus.

X V. Pluries observatum est, injuria amotos esse infrà annum Cappellanos a Magistris, & Patronis Ecclesiarum, & Cappellarum hujus Civitatis, & Diœcesis; Et quod animum Nostrum intimo dolore affecit, fuisse Sacerdotes, qui in Cappellani præjudicium sese ultrò obtulerint, ac statutam actu inservienti mercedem diminuerint. Nos cupientes istud avaritiæ genus evellere, odii-que

X I V. *Girondus in Syn. §.* Ex eadem.

X V. *Gallus in Syn. tit.* de Cappellanis.

que fomitem extinguere, præcipimus nullos amoveri Cappellanos, nisi cum causa a Nobis discutienda, & per duos menses antè anni finem; Sacerdotes verò sese ultrò exhibentes cum diminutione statutæ mercedis pœnis ad Nostrum arbitrium, si constiterit, puniemus.

X V I. Cum in Sancta Ecclesiarum, ac Diœcesis Visitatione audiverimus, oves proprio Parocho concreditas Missam diebus festivis audire, in aliis Cappellis intrà limites Parochiæ, ita ut Verbo Dei, aliisque Christianis exercitiis, quæ singulis illis diebus summa animi Nostri lætitià a Parochis fiunt, omninò destituantur, ac priventur; Ideò Convisitatorum Nostrorum consensu prohibuimus, & præsenti Constitutione prohibemus sub pœna a Nobis imponenda, ut nullus Sacerdos in Cappellis tàm intra, quàm extra Parochialem Ecclesiam, & in Parochiæ Altaribus, dum concioni Populus interest, audeat celebrare antè Parochi Missam, quàm fieri mandamus post exactam horam ab ortu solis.

CA-

X V I.

S.C.Ep.14.Mai.1581.Conc.Colon III.*par.2.cap.89.Conc.Benev. an.1693.tit.35.cap.6.* *Conc.Prov.Neapol.1699.tit.2. cap.2.* *Syn.Prov.Surr.loc.cit.*

CAPUT III.

De Divinis Officiis, & Choro.

I. CAnonici, qui & Fratres Nostri vocantur, & Consiliarii, in Clericorum albo primum ordinem, dignitatem, & gradum consequuntur. Quocirca meminerint Concilii Lateranensis V. sub Leone X., & inter generalia decimi noni, sess. 9. statuentis, quod si Choro addicti interfuerint quidem Choro, nec tamen recitaverint, quamvis statuta loci, vel fundatio, vel consuetudò id indulgeret, solamque requireret corporis præsentiam, mortalis delicti declarentur rei, & obligationi adstricti fructus, ac distributiones restituant. Ideò ea omnia, quæ a Prædecessoribus Nostris fuerint præscripta, pertinentia quidem ad debitam divinorum Officiorum celebrationem, & Chori ministerium, religiosè observent singuli, unà cum eis, quæ fuerunt a Nobis in Sancta Visitatione locali demandata, & publicata, ut cœlestis æmuli *Hierarchiæ* Sacrificium labiorum confitentium Domino indesinenter Deo Nostro conficiant.

II. Ut

I I. Vt Divinum Officium , quò laudes, gratesque Omnipotenti Deo persolvuntur , non interiori tantùm , sed exteriori etiam , ac sensibili cultu recitetur , mandamus , ut nullus sive Canonicus , sive Hebdomadarius absque Ordinis sui insignibus Choro interesse præsumat ; aliter a Punctatore notetur.

I I I. Absentes ; nisi ex justa causa , omninò punctentur a Punctatore electo prò tempore, qui juramentum præstet de Officio suo fideliter, & accuratè exequendo, ad præscriptum Concilii Tridentini ; quod ut nullo unquam prætextu omittatur, certiores fieri volumus in qualibet electione , an verè , & integrè illud Punctator electus præstiterit . Si quis autem aliquando per impedimentum adesse nequiverit , in sui defectum alium subſtituat Canonicum.

I V. Die Sanctissimi Corporis Christi Reverendus Archidiaconus Nobis absentibus celebra-

R bit,

I I.

Centinus in II.Syn.cap. 1.

Gallus in Syn. De horis Canon.

I I I.

Trid.sess. 24. De Reformat. *cap.* 12.

*S Pius V. Const.*Susceptæ 10. *Mai.* 1567. *prò Ecclesia Neapol.*

S C.Conc. 17.*Mar.*1619.

S.R.C. 28. *Mai.*1622. & 19. *Ian.*1608.*in una Barensi.* & 21. *Mar.*1609.*in Pisaur.*

Gallus in Syn.loc.cit.

I V.

*Centinus cap.*11.

bit, & in Supplicatione solemni Eucharistiam deferet; Die verò Octava ejusdem Festivitatis Reverendus Primicerius. Nobis autem præsentibus, ipsiusque solemnitatis die Sacramentum deferentibus, Reverendus Archidiaconus octavo die idem munus absolvet.

V. Nullus, dum Divina celebrantur Officia, audeat è propria Sede recedere, colloquia miscere, a cantu se abstinere, Choroque evagari, nisi res Divina expostularet; Seriò monentes, atque in Domino hortantes Archidiaconum, Primicerium, & Cantorem, ut Missæ soleninia cæteraque Divina Officia congruis persolvantur horis, & ab aliis persolvi curent.

VI. Determinatis horis, juxtà horariam tabellam in Sacello appositam, pulsandi Missam cum

Tertia

V.

Centinus in II.*Syn.cap.*1.
*De Iuliis cap.*6.
*Nepita tit.*De Choro.
Con.Generale XII. *&* *Lateranense* IV.*sub Innoc.*III. *can.* 17. Districtè præcipit in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus studiosè celebretur pariter, & devotè. *Et legitur in cap.*Dolentes, de Celebrat. Miss.*ubi insignis est glossa exponens vocem* studiose, *quantum ad officium oris sine syncopa*: Devote *autem quantum ad officium cordis, dicente Apostolo*: Orabo spiritu:(*idest respiratione & lingua*)Orabo & mente(*idest devota mentis attentione*) psallam spiritu, psallam & mente.

VI.

S. C. Ep. 3. *Mar.* 1509. *in Aret.*
Et in Theat. 18. *Apr.* 1617.
Et. in Tarent. 3. *Sept.* 1606.
Centinus in II.*Syn.cap.*1.
*De Iuliis cap.*6.

Tertia ; & Vesperas cum Completorio , Sacrista , vel ejus Oeconomus post transactam ab ultimo signo tertiam partem horæ candelas in Altare accendat . Diurnum , ac nocturnum Officium nullimodè differatur ad alicujus instantiam, & Hebdomadario absenti Archidiaconus , vel Primicerius , vel Cantor , & istis absentibus, Primus in Choro det alteri Canonico Officii inchoandi signum . Tandem , ut Psalmi post Antiphonas præintonentur juxta cantus Gregoriani modulationes , ac notas , observetur Edictum prolatum a Nobis 17. Martii 1703. , & aliud ejusdem diei , Mensis , & Anni prò Hebdomadariis.

VII. Hortamur Nostrum Capitulum , Nobis sive præsentibus , sed impeditis , sive absentibus , ut indifferenter deserviat cunctis diebus Dominicis , & festivis de præcepto , maximè tempore adventus , Quadragesimæ , & Octavæ, Corporis Domini ; Aliis verò diebus dimidia pars, ut declaravit S.C.C. , & rescripsit tunc temporis Episcopo hujus Ecclesiæ 9. Dec. 1615., teneri omnibus diebus Dominicis , & festis B. Mariæ Virginis , Apostolorum , & primæ Classis interesse.

 Inhæ-

VII.
S.C.C.26.Iul.1588.
Castellanet.16.Septem.1596.

Adrien.5.Febr.1602.

VIII. Inhærendo declarationi S. C. C., & Synodalibus Constitutionibus, ne Dignitates, Canonici, & Hebdomadarii sine Nostra facultate abscedant, maximè eorum hebdomadæ tempore, accedentes ad festa aliorum Sanctorum; volumus ut contravenientes unius tareni pœna mulctentur, quando Nobis cum Cappa, vel solemniter celebrantibus, aut cum Pluviali tàm in Vesperis, quàm in Missa deficiunt.

IX. Quolibet quatrimestri in unum conveniat Nostrum Capitulum, & dies, quæ commodior erit Canonicis, notetur per tabellæ affixionem in Sacristia Dominica saltem præcedenti, quæ legitimæ intimationis vim habebit. Initio orent aliquantulùm, dein sedeat unusquisque, liberè de propositis respondeat, suamque ferat sententiam cum voto, ac suffragio juxtà propriam dignitatem, & antiquitatem; quibus receptis, quod majori eorum parti visum fuerit, in librum Capitularium Actorum redigatur per ipsius Capituli Secretarium.

CA-

VIII.

S. C. C. in Ferrar. 11. Febr. 1628.

Et in Monopoli 16. Decembr. 1628.

Centinus in II. Syn. cap. 1.

Nerius cap. 5.

IX.

Conc. Prov. Mediol. S. Caroli hoc tit.

Syn. Prov. Surr. De modo congregandi Capitulum.

De Iuliis cap. 8.

CAPUT IV.

De Observatione Festorum.

I. PRæceptum illud primæ tabulæ tertium de Sabbato sanctificando, satis superque scimus, in Dominicæ Resurrectionis diem pientissimè observandum in perpetuum Ecclesiam mutasse; ut cum usibus, ac indigentiæ humanę alios tribuissent Fideles, unum illum Divinæ Majestati tribuerent, quæ admirabili rerum omnium opificio absoluto benedixit Diei septimo, & ab omni opere, quod patrarat, ad æternum Beneficentiæ suæ monumentum quievit. Accedunt Sanctorum Prototypa certis etiam præscriptis diebus colenda, ne charitas nimio, ac profano laborum servilium usu refrigescat; idcircò operæ pretium erit debitæ devotionis incremento, ac defectibus opportunè providere.

II.Vt

1\. *Syn. Laodicena can. 29. celebrari prohibet Sabbatum, præcipitque. Diei Dominici celebrationem. Dies Dominicus celebratur loco Sabbati ex Apostolica institutione*, 1. Cor. 16. Per unam Sabbati unusquisque vestrùm apud se reponat, &c. *& vocatur Dominica dies* Apocal. 1. v. 10. *in honorem scilice & cultum Dominicæ Resurrectionis.*

II. Ut per Nostrum Pastorale officium, quantum fieri potest, Divinus Cultus restituatur, Parochis universis præcipimus, ut populo identidem enuncient dies festos per hebdomadam sanctificandos, & a dimidio præcedentis noctis usque ad subsequentis dimidium observandos: Dei Templa prò Divinis Officiis, ac Sacrosancto Missæ Sacrificio pia, sinceraque attentione frequentanda: Ecclesiæ Sacramenta, quæ ad salutem necessaria sunt, ad Animarum curationem percipienda: ac demum conciones audiendas; egenis eleemosynas erogandas, Deumque perpetuis laudibus venerandum.

III. Mandamus omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ut diebus Deo consecratis ea, ad quæ tenentur, observent; & opera servilia, strepitus judiciales, profani contractus, aliaque hujusmodi sint interdicta. Propterea invigilent Nostri Ministri super eorum observantia, Nobisque

II.
*Trid.sess.*22. De dieb.fest.
Cath. Rom. par. 3. de Fest. Obser.
*Can.*Omnes Fideles.
*Can.*Missas,de Cons.*dist.* 1.
Can. Pronunciandum, *eod. tit.dist.*3.
*Cap.*1.de Feriis.
Pius V. Const. 5. Cum primum.
Syn.Prov.Surr.hoc tit.
*Palma num.*20.*&* 21.
*Asprella num.*65.
*De Iuliis cap.*3.

III.
Juxtà tit. Const. 5. *Pii V.Can.* Nullus 15.*qu.*4.
*Cap.*1.*&* 3. De Feriis.
Centinus in 1.*Syn.cap.*2.
De Iuliis cap 3.
Nerius cap 9.

que referant, si quos transgressores invenerint.

IV. Quia Nostrum est in hoc præcepto prò casibus particularibus, ac pernecessariis dispensare, juxtà Bullam fel. rec. Vrbani VIII. quæ incipit, *Universa*, & est 164., sub pœna a Nobis infligenda prohibemus, ne diebus hisce, præsertim Officiorum Divinorum tempore, saltationes, & laruatæ choreæ repræsententur; ut gravioribus remotis offensis vindicem Dei dexteram removeamus.

V. Curent Parochi, ut filii familias, aut quomodocumque subjecti in quolibet die festo Sacrosanctæ Missæ præcepto devotè satisfaciant, nec Nubiles, nec ob recentem Mariti mortem Viduæ absolvantur quacumque consuetudine, quam pravum usum dicimus, e medio sublata; gravemque pœnitentiam ne dum transgressoribus, verum etiam quomodolibet cooperantibus injungant.

Sciant

IV.
Ex Cap. Licet, de Feriis.
Can. Si qua Mulier *dist.* 30.
Can. Irreligiosa, De Conf. *dist.* 3.
Ex Pragm. II. Ne quid in loco publico.
Syn. Prov. Surr loc. cit.
Nerius loc. cit.

V.
Conc. Mediol. III. S Caroli tit. De his quæ ad Matrimonii Sacram. pertinent.
Centinus in II. Syn. cap. 2.

VI. Sciant denique Vniversi ; præcipuum Nostræ Diœcesis speculum quammaximè exhiberi in cultu, & veneratione Deiparæ semper Virginis Mariæ, nec non D. Cataldi Supremi Patroni, aliorumque Tutelarium Numinum, quorum præsentissimum præsidium in arcendis ærumnis, & benedictionibus impetrandis Civitas Nostra indesinenter agnoscit. Quapropter toto animi conatu, impigroque studio curandum est, ne in hujusmodi Festis celebrandis charitas refrigescat, ac nimia exultantis Populi hilaritate verus pietatis cultus cum spirituali Animarum detrimento corrumpatur.



CA-

CAPUT V.

De Immunitate Ecclesiastica.

I. INutiles haberi consuetudines omnes, quæ aliquo pacto libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam violant, novo Decretalium jure sancitum invenitur. Porro Levitica Tribus, *Numer. cap.* 3. loco Primogenitorum in sortem Domini assumpta a Seculi oneribus per Moysis legem fuit exempta, ut Dei Tabernaculo liberiùs inserviret; quò magis Primogènitus in multis Fratribus Dominus Noster Jesus Christus, Divino cultui mancipatos a seculari potestate, quæ rerum spiritualium tractandarum incapax, immunes esse voluerit?

I I. Prò ea igitur tuenda inviolabiliter obser-

S vetur

I.

Cap. Clerici, De Judiciis, *Cap.*Cum terra, de elect. *Cap.*Ad nostram: *Cap.*Cum inter, de consuet.*Cap.*Noverit, De sentent.Excomm.*Cap.* Causam quæ, de præscript.

Conc.Generale XI. seu Lateranense III.sub Alexandro III.Pontifice can.19.interdicit sub anathemate onera super Ecclesias, vel Clericos imponentibus; aut Episcoporum Iurisdictionem minuentibus, aut usurpantibus. Permittit nihilominùs Episcopis, & Clero subsidia quædam communitatibus conferre, dummodò duæ interveniant conditiones, necessitas communis, & ne ulla sit coactionis species.

I I.

Quintius num.30 & 31. Asprella num 58.& 59. Nerius cap.9.hoc tit. Nepita hoc tit.

vetur Constitutio Gregorii XIV. *Cum alias nonnulli*, etiam jure Cæsareo confirmata, juxtà illius tenorem, continentiam, ac formam: cæteris etiam Nostrorum Prædecessorum sanctionibus, ordinationibus, & decretis, hæc, & connexa respicientibus in suo robore permansuris.

I I I. Sub pœna Excommunicationis interdicimus Juratis, Cursoribus, & Servientibus quibuscumque, ne quemquam in Ecclesiis, vel Cœmeteriis, sive alio loco immuni tàm civiliter, quàm criminaliter citare attentent.

I V. Nullus Jurisdictionis laicalis Minister sub pœna excommunicationis perquisitionem ullam attentare præsumat, vel fieri præcipiat, aut permittat in ædibus Ecclesiasticorum prò quavis causa sinè nostro, vel Nostri Vicarii Generalis consensu, & sine persona Ecclesiastica per Nos deputanda.


V. Excommunicationi pariter subiicimus impedientes, vel impediri facientes Cursores Nostræ Curiæ quo minus officium suum exerceant, aut quomodolibet exequantur: & offendentes ejusdem Curiæ Officiales sive cum armis, sive cum fustibus.

V I. Clerici prò damnis illatis ab eorum animalibus juxtà S. C. Decreta teneantur solùm ad ea, prò quibus conveniri mandabimus in

Nostro

Nostro Ecclesiastico foro; numquam verò ad pœnam, & statutum Laicorum: & contrafacientes Ecclesiasticis censuris innodari mandabimus.

VII. Singuli tandem animadvertant, debitam numquam satis exigi ergà Ecclesiasticum Ordinem venerationem ab eo, qui ait: *Nolite tangere Christos meos*, 1. *Paral. cap.* 16. *v.* 22.: quapropter quidquid per Bullam Cœnæ Domini, quidquid per Constitutionem decimam Martini V. *Ad reprimendas*, illi provisum esse noscatur, provideri etiam sibi unusquisque contendat.



CAPUT VI.

De Bonis Ecclesiasticis non alienandis, & de occupantibus eorumdem Jura.

I. INclytus Christi martyr Laurentius, ne opes Ecclesiæ in Cœlestes thesauros per manus pauperum deportandę, incustoditæ permanerent, ferrea & ignita crate initi martyrii sanguine roborata sarctas tectas servare voluit ad instructionem Fidelium, quibus Sacrorum Canonum observantiam nunc seriò injungimus. Tres verò alienandarum Ecclesiæ rerum justas esse causas docet Glossa in proœmio *Causæ* 12. *qu.* 2. Primam, ipsius Ecclesiæ necessitatem, aut evidentem utilitatem: ut si fructus ad Ecclesiæ impensas, aut Cleri substentationem, aut debitorum solutionem sufficere non possint. Causa secunda est pietatis, ad subsidium pauperum in gravi necessitate, vel in redemptione captivorum, juxtà diffinitionem S. Papæ Gregorii *lib.* 5. *epist.* 17., & *lib.* 7. *epist.* 4. qui vult his casibus Sacra Vasa confringi, & conflari. *Aurum enim habet Ecclesia non ut servet, sed ut*

I.

Can. Hoc jus porrectum, 10. *quæst.* 2.

Can. Aurum, 12. *quæst.* 2.

Can. Sine exceptione, & *Can* Terrulas 12. *qu.* 2.

Cap. Ad aures de reb. Eccles. non alien.

ut eroget, *et subveniat in necessitatibus*. Causa denique tertia est vitandi damni, quando Ecclesiæ prædia sterilia, aut inculta remanerent ob magnas necessarias in eis reparandis impensas, magnamque distantiam.

I I. Præter triplicem hanc necessitatem, Nostro consilio, ac judicio probandam caveant omnes, ad quos spectat, ne Ecclesiastica Bona vendant, permutent, vel in emphyteusim concedant, vel alio titulo alienent, vel hypothecæ subiiciant

I I.

Can. Non licet. *Can.* Abbatibus 12. *qu.* 24. *Can.* 1. & 10. *qu.* 2.

Can. Res in Episc. 12. *qu.* 2.

Cap. Null: *Cap.* Si quis, De reb. Eccl. alien. vel non.

Cap. Is cui, de Elect. *in* 6.

Paulus II. in Extr. Ambitiosæ de reb. Eccl.

Paulus IV. const. 2. Injunctum.

Can. Terrulas 12. *qu.* 2.

Plures sunt servandæ solemnitates ad legitimam rerum Ecclesiæ alienationem. Prima est, ut interveniat Capituli, aut Cleri deliberatio, & consensus scripto expressus, cum singulorum subscriptione, iuxtà can. 32. Concilii Carthaginensis IV., & Can. Sine exceptione 12. qu. 2. *Secunda, ut ex deputatione per Capitulum committantur certa personæ ad juridicè inquirendum de qualitate rei, cujus tractatur alienatio, deque utilitate, aut necessitate ejus alienationis: quæ demum facta inquisitio refertur ad Capitulum. Tertia, ut publicè per Parochos tam loci, quam convicinos, perque affixas schedulas denuncietur illa futura alienatio per licitationem, ac subhastationem, ut qui in licitatione plus obtulerit, rem habeat. Quarta, ut accedat Episcopi consensus, aut ejus Vicarii, aut Abbatis, si de re agitur Regularis Ecclesiæ, aut Monasterii: Quo ultimo casu requiritur insuper Summi Pontificis consensus. Prædictæ requiruntur solemnitates, etiamsi non fiat alienatio in perpetuum, aut etiam ad annos triginta, dummodo fiat emphyteusis ultra novennium.*

subiiciant sine prævio assensu Sanctissimi Domini Nostri, & in rebus modicis sine Nostro; alioquin pœnam excommunicationis sciant non evitare, & contractum nullitatis vitio laborare. Pari quo ad hoc ratione censentur Stabilia, Actiones, Jura, Permutationes, etiam si fiant inter duas Ecclesias, & de re meliori, Transactiones, & Compromissa super rebus Ecclesiæ jam incorporatis, Mobilia pretiosa, ut sunt Armenta, Greges, Vasa argentea, atque his similia.

III. Ut omnes hujus Civitatis, & Diœcesis notitiam eorum habeant, quæ Sacrosancta Tridentina Synodus sancivit *sess. 22. de refor. cap. 11.* mandamus Parochis, & Concionatoribus, quod in aliqua Dominica Quadragesimæ publicent, & patrio sermone exponant; videlicet, *Usurpantes, convertentes in proprios usus, quocumque quæsito colore, sive per se, sive per alios, & detinentes Bona, fructus, emolumenta, atque obventiones Ecclesiæ, vel cujuslibet loci pii, & impedientes quomodolibet, ne præfata iis, ad quos pertinent, reddantur, neque ab iisdem percipiantur, sunt excommunicati, & absolutio est Summo Pontifici reservata in Bulla Cœnæ Domini can.* 17. Clericos hujusmodi

III.
N. pita in Syn. hoc tit.

di alienationibus, aut usurpationibus assentientes, ultrà excommunicationis pœnam, pœna privationis Beneficii, & inhabilitatis ad alia affici volumus.

I V. Cappellæ, & Sepulcra tàm in Ecclesiis consecratis, quàm benedictis tantùm, si a Domino vendi, vel ad annuum canonem concedi, vel alterari præsumantur, aut tradantur, cum sint res sacræ, absque nostra facultate, & causa per Nos cognita, post traditionis actum interdicta denunciamus, & contractum nullum, atque irritum declaramus.

V. Indemnitati Nostræ Cathedralis Ecclesiæ, aliarumque Ecclesiarum, Cappellarum, Locorumque Piorum hujus Civitatis consulentes, excommunicamus omnes, & singulos indebitè turbantes, & molestantes Possessiones, ac Bona earundem Ecclesiarum, necnon redditus, aliosque proventus occupantes, & in prædictis consilium, ac favo-

I V.
Nepita loc.cit.

V.
Conc.Vasense, seu Vasionense can. 4. eos excommunicat, qui oblationes retinent, aut Ecclesiæ reddere morantur. Vocatque hujusmodi retentores sacrilegos. Citatur nominatim Vasensis hic Canon in Concilii II. Arelatensis can.47.Citatur pariter in Decreto Can.Qui oblationes 13. qu. 2. *idemque statuitur in Conc. Matisconensi I.can.4.*
Palma num.5.
Quintius num.41.
Nerius de Casibus reservatis.
Nepita loc.cit.
Asprella num.65.

favorem præbentes: cui etiam pœnæ subjicimus incidentes fructiferas arbores, necnon scientes, & non revelantes census debitos prædictis Ecclesiis, Locisque Piis.

V I. Usurpantes Jura præsentandi Beneficia, & Missas, eadem dolo, aut vi occupantes, legitimi possessores illorum ineuntes cum Beneficiatis pactum solvendi minus pretium, ad quod tenentur, vel illa prò eorum beneplacito renunciandi, ideòque aliquid vel solvere, vel recipere promittunt, non sunt a Simoniaca labe immunes, & promissio habetur illicita; proindè prohibemus sub pœna excommunicationis hujusmodi Beneficia exposcere, & promittere antequam vacent per mortem, vel per alium modum juxtà Sacros Canones.

V I I. Cum ex vi pacti de retrovendendo aliqua pecuniarum summa, quam Capitale appellant, Ecclesiæ alicui restituatur, vel ex legato, vel ex donatione, vel ex simili via de novo acquisita, quod in annuum canonem, vel emptionem Stabilium convertendum sit, absque nostro, vel nostri Vicarii Generalis permissu nullimodè exce-

---

V I.
Palma num.8.& 9.
Quintius num.43.& 44.
Asprella num.68.& 69.

V I I.
De Iuliis cap.4

executioni mandetur sub pœna excommunicationis, & transgredientium periculo, ac detrimento cedat, si quid hanc ob causam Ecclesia passa fuerit.

CAPUT VII.

De Sacris Processionibus.

I. SAcras Processiones, quibus Religionis cultus Deo Optimo Maximo, Creatori & Conservatori universi Orbis exhibetur, patefaciendo fidelium vota, debito ritu, ac honore prosequi; abusus, si qui fortè irrepserint, amputare; & Ritum, quo præordinatæ sunt, unusquisque studeat conservare: ut Deus ipse infinita sua Bonitate præsentia a nobis mala, & futura dignetur avertere. Quapropter in medio ponimus, quæ Nostri Prædecessores sanctè decreverint, & Nos prò Cleri veneratione de novo decernimus.

II. Clericis omnibus nostræ Curæ subjectis rigorosè præcipimus, ut statutis Supplicationum diebus summo mane ad Cathedralem, vel ad Pa-

T rochias

I I.
Syn. Prov. Surr. de Process.
Centinus §. Quo circà.
Quintius num. 26.
Asprella num 47. & 49.

rochias conveniant, undè initium capere solet Supplicatio, eamque prosequantur talari veste, ac superpelliceo mundo induti absque chirothecis, & pileis, sed cum bireto, Litanias Sanctorum, vel Preces, aut Psalmos prò earumdem qualitate psallentes, inanibusque exclusis colloquiis nulli caput aperientes, neque huc, neque illuc oculos divertentes, donec ad Cathedralem, vel ad alias Ecclesias reversi nostra benedictione accepta ad propria revertantur. Ab his generalibus Supplicationibus non absoluuntur Clerici quantumvis exempti, modò Beneficiis in hac Diœcesi potiantur, sub pœna trium ducatorum Locis piis applicanda, & aliis prò rerum eventu.

III. Processio Sanctissimæ Eucharistiæ quanto debeat animi, corporisque ornatu condecorari, omnibus apertò liquet; ideò mandamus, ut die Sanctissimi Corporis Domini, nisi viæ sint accomodatæ eo modo, & forma, prò ut in Cæremoniali Romano præscribitur, alia decentiori transportetur. Et quia in Octava prædictæ festivitatis fit etiam Processio extrà Cathedralem, mulctentur omnes de Clero mulctâ librarum trium ceræ, moderata per hanc Constitutionem pœna

duca-

III.
Gitondus §. Processionem.
Centinus in I.Syn.Decr.6.
De Iuliis cap.9.
Gallus tit. de Processionibus.

ducatorum trium, qui sinè rationabili causa præfatæ Processioni adesse neglexerint, uti aliis etiam, quæ gravem ob necessitatem a Nobis præscribentur.

I V. In præsenti itidem Constitutione declaramus, quod, sicuti Parochi in Assumptæ Virginis Celebritate ob præsentiam Ecclesiis debitam ad solemnem Supplicationem non tenentur, ita Ecclesiasticos reliquos propter populorum frequentiam ad Nundinas coeuntium in posterum ab eadem se volumus abstinere: excepto dumtaxat nostro Capitulo, ad cujus antiquam Jurisdictionem pertinet solemniori ritu Sacra perficere prò illa tam Venerabili die, sicut eadem perficienda probata consuetudine mandamus. Hujusmodi autem Processionis loco Missam solemnem cum Litaniis Beatissimæ Virginis cantu devoto ac plano prò Defunctorum Animabus persolvi in unaquaque Parochiali Ecclesia stabili tenore mansuram decernimus.

V. Juxtà Synodales Constitutiones meminerint universi, feria 6. sequenti ad festum Sanctissimi Corporis Christi fieri Processionem demanè ab Ecclesia Sanctissimæ Annunciatæ, quam

V.
Centinus in I.Syn.loc.cit.
De Iuliis loc.cit.

ab aliis etiam Parochiis fieri mandamus; determinantes diem Sabbati prò Ecclesia Parochiali Pastinæ, Dominicam prò Parochialibus S. Agathæ, & Monticuli, feriam secundam prò Parochiali Torchæ, feriam tertiam prò Parochiali Nerani, feriam quartam prò Parochialibus Termini, & Marciani, diem Octavæ prò Parochialibus Schiazzani, & Aquariæ: seriò declarantes, hujusmodi Processiones celebrari prædictis diebus antè prandium sub pœna interdicti Ecclesiæ respectivè.


V I. Hujus Nostræ Diœcesis Confraternitatibus sub pœna interdicti earum Oratoriorum præcipimus, ut in generalibus Processionibus die & hora statuta accedant ad Nostram Cathedralem Ecclesiam. Monemus itidem utriusque sexus Christifideles, ut rixas, acclamationes in viis, & plateis, per quas Processiones incedunt, omnimodè avertant, ne religiosissimum opus decedat in Populi potiùs offensionem, quàm ædificationem.

V I I. Volumus pariter in præsenti, ut Sancti Marci, & Rogationum Processiones a solis Parochis cum Ecclesiasticis ibidem commorantibus, & Confraternitatibus, quas ad pietatem fovendam excitamus,

---

V I:
Centinus loc. cit.

tamus, prò meritò absolvantur; ità tamen ut Cathedralis sit sola prò Suis adimplendis cum omnibus intra ipsius limites existentibus. Cæteræ autem Parochiæ, quibus proprii debent Ecclesiastici interesse prò iisdem supplicationibus complendis, distribuantur in partes juxtà præsentem Dispositionem, ne debitus Clericorum numerus tanto muneri deficiat, servata Parochiarum antiquitate, ordine, primatu, decore, ac terminis per Nos proximiori Paragrapho præscribendis.



§. VNI-

§. UNICUS.

Nova Methodus circà Processiones S. Marci, ac Rogationum construendas exponitur.

I. CONcilium Aurelianense I. Symmacho clavum universalis Ecclesiæ moderante, anno a Christo 508. hæc de Rogationibus habet can. 29. *Rogationes, seu Litanias, antè Ascensum Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum jejunium in Ascensionis Dominicæ solemnitate solvatur: per quod triduum servi, & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat.* Nos considerata non solùm locorum distantia, quæ & ingens attulit semper Eccle-

I. *Sidonius Apollinaris* lib. 7. epist. 1. ad Mamertum Viennensem Episcopum, *hunc ipsum prædicat authorem* Rogationum, *quarum præsidio, civium suorum, quorum exitium & multa de cælo prodigia, & Barbararum gentium incursiones interminabantur, saluti consuluerit. Hæc porro contigerunt circa Christi ann.* 474. *Post Mamercum Hesychius Ecclesiæ Viennæ gubernacula suscepit, cui successit Ruitus, qui* homil. in Rogationes, *sic ait;* Currit tramite viali non per Gallias modò, sed per Orbem totum Rogationis observantiæ flumen irriguum.

Ecclesiasticis Nostris incommodum, & ansam Fidelibus præbuit neque ab operibus desistendi, neque Rogationes associandi; verum etiam rudiorum ignavia, qui a Supplicationum præsentia divinas augeri benedictiones autumant: Adhibito tandem Nostri Capituli, ac Parochorum consilio decrevimus tàm æquis Ecclesiasticorum votis, quàm Fidelium necessitati, terrarumque omnium utilitati consulere.

III. In tres igitur classes dividere statuimus Parochias omnes, Cathedrali excepta, prò Rogationibus ab unaquaque celebrandis. Primam complent Parochiæ, quæ in Oppidis S. Agathæ, Torchæ, & Pastinæ existunt: Alteram, quæ in Oppidis Monticuli, & Aquariæ: Tertiam; quæ in Oppidis Termini, Schiazzani, Nerani, ac Marciani.

IV. Prò prima classe Parochia S. Agathæ, utpotè antiquior, det omnibus Processionibus initium. Ab ipsa Processio S. Marci usque ad D. Mariæ ad Nives; Ab ipsa prima Rogationum usq; ad Parochiam Torchæ; Ab ipsa secunda Rogationum usq; ad Parochiam Pastinæ celebretur; tertiam deniq; per Oppidi limites circumductam ipsa S. Agathæ Parochia excipiet.

V. Prò secunda egrediatur Processio Sancti Marci à Parochia Monticuli ad S. Mariæ Lauretanæ Ædiculam procedens. Ab eadem prima Rogationum, cui terminum S. Sossii Ecclesia imponat

imponat: Reliquæ dein, quarum altera ad D. Rocci Templum, altera Monticuli plateas perlustrans ad ejusdem Ecclesiam ingredietur, initium a Divi Petri Parochia assumant.

V I. Prò tertia tandem, quia pari antiquitate fruuntur Termini, ac Schiazzani Parochiæ, ab utraque inchoari Processiones decernimus; nempè illam S. Marci a Parochia Termini usque ad Mitiliani Eremum, ac primam Rogationum ab eadem usque ad D. Sergii Fanum. Secundam autem Rogationum a Parochia Schiazzani usque ad Templum D. Joannis Baptistæ in Casis Oppidulo; tertiam denique Schiazzani oppido circumducto ad ejusdem Parochiam terminari.

V I I. Processiones, quæ a Clericis intra Cathedralis limites commorantibus unà cum Regularibus concelebrantur, antiquum ejusdem tenorem, atque ordinem servent; videlicet ad S. Mariæ ad Delubrum Processio S. Marci extendatur, ad Ecclesiam Societatis Jesu prima Rogationum, ad Divi Philippi secunda, ac tertia Divæ Theresiæ mœnibus perlustratis ad eandem Cathedralem procedat. Iidem in utriusque Paschatis Sabato ad Cathedralem Ecclesiam convenire teneantur.

V I I I. Viciniori ad dictas Processiones Dominica inter Divini Verbi prædicationem significent Parochi populis eorum curæ commissis

ut

ut susceptis Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Sacramentis omnes utriusque sexus religiosa animi præparatione ad eas accedant prò felici fructuum ubertate impetranda. Ubi verò finem respectivè habuerit Supplicatio, Parochorum munus prò uniuscuiusque Sede sub pœnis arbitrio adimpleatur, fideles hortanto, ut precibus, atque orationibus Deum excitent ad Divinam campis benedictionem elargiendam.

I X. Parochi in cujuslibet Processionis termino Missam alternativè, antiquiori semper prælato, decantent; qui prò Subdiaconatus, ac Diaconatus ministerio Sacerdotes ad arbitrium eligant, sicut etiam prò Cruce in Processionibus deferenda. Volumus pariter, ut in Ecclesia, ubi finem habuerit supplicatio *S.* Marci, post Missam cantatam solenniori cantu Litaniæ Beatissimæ Virginis decantentur.

X. Vt majori cultu præcipui hujus Civitatis Patroni S. Cataldi Festum celebremus, Processionem confirmamus de Nostra Cathedrali, in qua Sacrum ejus Brachium summa veneratione adservatur, & colitur; Volentes, ut Ecclesiastici Nobis subjecti, nemine excepto, ad eamdem accedant, atque intersint sub pœna trigin-

V ta

X. *Centinus in Syn.loc.cit.*

*De Iulijs tit.*de Processionibus.

;a quinque librarum ceræ piis usibus applicandæ; maximè quia per Nostros Prædecessores fuit alteri subrogata, quæ fieri solebat in Nostra Cathedrali die Cinerum post concionem, quam Nos etiam abrogamus.

X I. Eidem pariter pœnæ subjaceant, qui cæteris Processionibus assistere negligentes concessum beneficium demereri studuerint. Et meminerint, aliud a Nobis prò hujusmodi benignitate non expectari prœmium, quàm æternos Christi Servatoris amplexus, per ipsorum preces, ac dignos Ecclesiasticis mores, Nobis in Æternitate concedendos.



PARS

PARS TERTIA.

De Personis, et Moribus Ecclesiasticis.



Lericorum Status a Deo electus, & Sacris Altaribus mancipatus, quantùm distet a Seculari mundanis rebus addicto, nemo est, qui non intelligat, ac sciat; propвтereà Clericorum mores a Laicorum distare etiam oportet, utpotè qui in sortem Domini vocati non Secularium imitari vitam, sed his longè præcellentes, terrenis contemptis cupiditatibus, Deo vivere, Cœlestibus vacare, ad Divina debeant incumbere: ne turpioribus involuti vitiis gravissima illa D. Gregorii animadversione afficiantur; ait enim, quod nullum ab aliis majus præjudicium, quàm a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. Quia in re maximi momenti, ut præcipuas, imò & primas Pastoralis Nostræ solicitudinis partes implere in Domino possimus, Ecclesiasticis omnibus Nostræ Jurisdi-

ctioni subjectis Sanctas Sacrorum Canonum; & Concilii Tridentini leges, Prædecessorum Nostrorum salutaribus monitis, regulisque munitas, rursus commendamus, atque obnixè præcipimus.

CAPUT II.

De Parochorum Munere.

I. CUm multa, ac sublimia Christi Optimi Maximi collata in genus humanum extiterint beneficia, qui tot tantisque suis laboribus, ęrumnis, opprobriis, contumeliis, & morte demùm acerbissima vitam nobis, salutem, libertatem, veram sapientiam, ac religionem fuerit adeptus: undè triumphum etiam Sibi gloriosissimum, & præclaros illos, illustresque titulos reportaverit: ut et totius Orbis Salvator, Doctor, Pax, Vita, Otium, Veritas, Pastor, Salus, Felicitasque mortalium jure optimo diceretur; nullus tamen inter hos titulos clarior, illustriorque videri solet illo, quo & Lumen, & Splendor Patris, & Sol multis Prophetarum vaticiniis, & aperta Apostolorum, ac totius Ecclesiæ prædicatione appellari consuevit. Quid enim de Christo Jesu vitæ magistro aut sapientius excogitari, aut aptius & con-

convenientius dici unquam potuisset, quam Solem nuncupare, qui primus miseris mortalibus, incertis cursibus, & incredibili cæcitate vagantibus, veræ virtutis, ac Sapientiæ viam intento veluti digito commonstraverit. Hoc quidem nomine, hoc lumine illustratos optamus Nostræ Diœcesis Parochos; ut Animarum tenebris fulgentia sidera evadant, se in prædicatione socios, in laboribus comites Solis Divini præbentes. Vt igitur ea, qua par est, vigilantia, & charitate Animas sibi commissas verbo & exemplo instituant, his Constitutionibus evincere aggredimur juxtà Tridentini Sanctiones *Sess.* 23. *cap.* 1.

I I. Non sinè maximo animi Nostri mærore percepimus in Sancta Visitatione locali hujus Nostræ Diœcesis, Parentes, ac Dominos filiorum, servorumque immemores Doctrinam Christianam, quam Parochi edocent, non curare, ut Filii, servique addiscerent; quapropter illos, ad quos spectat, sæpius admoneant Parochi, præsentem debere Constitutionem exequi: & si opus fuerit, ipsos etiam per censuras compellemus juxtà Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 4. Vt verò alliciant Parentes, Propinquos, aliosque ad tan-

tæ ne-

I I.
Ex Trid. sess. 5. *cap.* 2. *sess.* 24 *cap.* 4. *& alibi*.
Pius V. const. Ex debito Pastoralis Officii.
Paulus V. const. Ex credito Nobis.

tæ necessitatis opus, publicent Indulgentias a S. Pio V. concessas in Constit. *Ex debito Pastoralis officii*, & a Paulo V. in Constit. *Ex credito Nobis*.

III. Nulla interposita mora ad extremè laborantes infirmos accedant, diuturnis ægritudinibus languentes visitent, atque alacri animo ad ministranda iisdem in quacumque temporis differentia, ac temperie Sacramenta pervolent. Quod si ex hac vita migrare quis contigerit propter eorum apertam incuriam sine Sacramentorum munimento, pœna suspensionis a Nobis infligenda mulctabuntur.

IV. In subsidium extremè laborantium, in quibus agitur de integro æternæ vitæ asse, opportunè advocent Parochi alios Sacerdotes, & si quos repugnantes invenerint, Nos vel Nostrum Vicarium Generalem admoneant, ut providere hujusmodi Temeritati valeamus. Sed quia commissum Nobis Gregem, quoad possumus adjuvare optamus, curent Nos etiam reddere de Infirmi periculo certiores, ut eum visere, ac benedictione donare possimus.

Licet

III.

Quintius num. 15.
Asprella num. 25.

IV.

De Iuliis cap. 2.
Nerius loc. cit.

V. Licet ad Parochos pertineat magis morti proximos adjuvare, id volumus tamen, ut non solum ipsi, sed alii etiam præstent Sacerdotes ea charitate, quam periculum ex hac vita migrantium seriò expostulat. Perlibenter igitur omnes periclitantibus assistant, ut meliora semper, & majora ipsis in dies charismata cumulentur.

V I. Dominicis saltem diebus, aliisque festivis populum suæ Parochiæ edoceant Fidei rudimenta, Obedientiam ergà Parentes, bonos mores; & curent, ut vel inter Missarum solemnia, vel in Vesperis ad Campanæ signum pueri, & adolescentes utriusque sexus Doctrinæ Christianæ recitationi intersint.

V I I. In propriis Ecclesiis in quibus Vesperæ, Missæ, aliaque Divina Officia celebrantur, tàm Parochus ipse, quàm reliqui Sacerdotes sint superpelliceo mundo induti sub pœnis Nostro arbitrio imponendis, ex Decretis Sanctæ Visitationis localis; ut Ministri debita reverentia in Choro assistant.

Parochi

V.
Nerius loc.cit.
V I.
Syn.Prov.Surr.hoc tit.
Centinus in 1.Syn.decr.1.
De Iuliis in Syn.cap.1.

Nerius cap.5.
Nepita. §. Curam Animarum.
V I I.
Centinus loc.cit.

VIII. Parochi, utpotè Pastores, diebus Dominicis, & Festivis sint suis Ecclesiis præsentes, Confessiones audiant, Evangelium explicent; idcircò prædictis diebus non accedant ad Confessiones extrà Parochiam audiendas, ne Animæ ipsis commissæ proprio destituantur Pastore. Sciant obligationem propriæ Residentiæ; & si alius Sacerdos, ipsis justa de causa absentibus, subrogandus sit, debet a Nobis ad formam Tridentini approbari.

IX. Sub pœna ad Nostrum arbitrium præcipimus, ut habeant Parochi Rituale Romanum jussu Pauli V. editum, cujus solemnitatibus, & cæremoniis utantur in Sacramentis administrandis; neque addant, vel minuant, vel mutent verba spectantia ad Sacramenti substantiam, sed illa tota mentis attentione devotè ac distinctè pronuncient. Volumus insuper, ut, dum alii Sacerdotes de eorum consensu Sacramentum baptismi administrant, sint quantum fieri potest præsentes, illosque instruant, ut omnia verba distinctè, attentè, ac devotè proferant.

X. Habeant singuli librum, in quo Baptismi, Con-

VIII.
Trid. sess. 23. De Reformat. *cap.* 1.
Asprella num. 17.
Nerius loc.cit.

IX.
Nepita tit. de Parochis.

X.
Rit.Rom. in fin. tit. Formulæ scribendi.
Syn.Prov.Surr hoc.tit.

Confirmationis, Matrimonii Sacramenta; & Mortuorum nomina diligenter & accuratè cum anno, die, ac mense per extensum describantur, ad formam Ritualis Romani: quem, & alios Prædecessorum suorum sub clavi custodiant, nullique legendos tradant, nisi ipsis præsentibus, atque inspicientibus, ut omnis occasio mali auferatur. Eundem quolibet anno in Sancta Visitatione, vel quoties fuerint a Nobis requisiti, exhibeant sub pœnis Nostro arbitrio infligendis.

X I. Conficiant peculiarem libellum de statu Animarum, quæ eorum curæ subjacent, illumque singulis annis recognoscant; uti etiam alios, in quibus adnotentur Visitationes locales, quo die, mense, & anno a Nobis, vel Nostro Vicario Generali peractæ fuerint; Decreta pariter, quæ in eis relaxantur, Ordinationes circulares, aut Edicta quæ a Nostra Curia expediuntur, sub pœnis arbitrio in casu transgressionis.

X I I. Benedictiones Cinerum; Palmarum, Candelarum fiant tantùm in Majoribus Ecclesiis, non autem in Cappellis; &, fieri conceduntur in Ecclesiis Sanctissimæ Annunciatæ, Sanctæ The-

 resiæ

X I I.
Sac. Rot. in Neapolitana Iurium Parochialium coram Ansaldo 13.*Mar.* 1711.
*S.C.C.*8.*Mar.*1618.*Et S.C.Ep.* 31.*Augusti* 1629.
Conc.Prov.Mediol. tit. de Societatibus.
Gallus de Benedictionibus.

resiæ, & Sanctæ Mariæ a Misericordia. Quo ad ovorum autem, Ciborum Paschalium, retium, navium, ac domorum nonnisi a Parochis ex Decreto S. Rotæ 13. Martii 1711. conficiantur, sub pœna a Nobis statuenda omnibus aliis, qui hujusmodi munus susceperint.

XIII. Nemo post partum, ac nuptias benedicere audeat mulieres, cum hæc sint propria Parochorum jura in suis Ecclesiis exercenda, aliisque Ecclesiasticis interdicimus sub pœna arbitraria.

XIV. In Baptismali Fonte benedicendo caveat Parochus, ne veterem aquam alicui tradat; sæpè enim ementitæ devotionis prætextu superstitionibus ansa præbetur, cujus evitandæ gratia tàm recipientes, quàm dantes Nostro reservamus judicio puniendos.

XV. Ut autem paterno affectu, & opportunis suasionibus dissidia, & contentiones inter subditos Parochi evitent, nullus alius, excepto Parocho Nostræ Cathedralis, se admisceat in exi-

XIII.
*S.C.Conc.in Antuerp.*18. *Nov.* 1662.
*Conc.Prov.I S.Caroli p.*2.
*Conc.Prov.Neapol.cap.*13.

XIV.
Syn.Diœc.Emin.Cantelmi num. 28.*hoc tit.*

XV.
Ex Conc.Generale XII. *Lateranense* IV.*sub Pontif.Innoc. III. can.*32.
Nerius loc.cit.

exigendis redditibus, & censibus suæ Parochiæ; sed propriam expectent mercedem, a Magistris, seù Administratoribus solvendam, & apochas de recepto in propriæ administrationis libro exarent sub pœna arbitrio Nostro infligenda, moderata pœna excommunicationis.

X V I. Ægyptiacas mulieres, quæ ex manuum lineamentis eventurum aliquod vaticinantur, incautosque nugis, ac præstigiis decipiunt, omninò fugiendas esse jubemus;ptoptereà Parochi illarum dolos, & fraudes ad extorquendam pecuniam esse accomodatas, animabus eorum curæ commissis patefaciant.

X V I I. Sepulturæ electio, quæ suis munita conditionibus in mortuorum libris adscribatur, fiat gratis a Parocho; & si impeditus, vel absens fuerit, conficiatur a Confessario per Nos approbato, eidemque posteà Parocho tradatur.

X V I I I. Tandem quæ in hac Synodo sparsim dicta sunt, ac dicentur ad Parochos pertinentia, observent ipsi exactè. Intereà caveant, ne adolescentes, qui per ætatem, ac

X 2 ma-

X V I.
Nepita tit. de Parochis.

X V I I.
Syn. Prov. Surr hoc. tit.
Nerius De Iuribus Parochorum.

maturiorem Rationis usum Pœnitentiæ ; atque Eucharistiæ capaces videntur , cœlesti hoc dono privati diutiùs remaneant . Jejunia , festosque dies inter Missarum solemnia populo promulgent ; ipsum ad salutem necessaria edoceant; quæve vitanda , quæve amplectenda ad vitam æternam obtinendam . Sacramentorum virtutem explicent , in quo exercitio profanos omittant sermones sub pœna Sacrorum Canonum . Tandem ostendant se se in omnibus zelo Apostolico præditos , cum debeant ex Evangelica Parabola assimilari Homini negotiatori quærenti bonas margaritas , animas scilicet suo regimini concreditas , & ne una depereat , omnia sua bona , sanam nempè doctrinam , sedulam operam , impigrum laborem , & paternæ Charitatis ignem vendere omnimodè debent .



CAPUT II.

De Vita, & Honestate Clericorum.

I. Vitæ exemplum magnam afferre verbis authoritatem, ac quoddam esse veluti prædicandi genus, incomperto habemus; quapropter Ecclesiasticos omnes tàm Nobis subjectos quàm exteros per viscera Misericordiæ Jesu Christi monemus, atque obtestamur, ut ità sobriè, ac piè vivant, ut cæteris eorum vita, & conversatio ad pietatem, & morum disciplinam exemplo esse possint. Nullo ipsi fastu, nulla pompa utantur, non vestibus, quæ statum dedeceant, non pretiosa supellectile. Sit eorum mensa frugalis, & parca, ejusque condimenta sint Charitas, Sanctorum librorum lectio, vel pii cum Domesticis sermones. Sint etiam de Suorum moribus, & vita soliciti, ne ex illorum vitiis turpem contrahant infamiæ notam.

Igitur

I.
Conc. Agathense can. 20.
Conc. Carthaginense IV. can. 44 & 45.

II. Igitur cujuſcumque Dignitatis & gradus ſint Eccleſiaſtici Nobis ſubjecti, Clericalem habitum ſuo ordini, ac profeſſioni congruentem, tonſuramque conſpicuam deferant, juxtà Tridentini, Sacrorumque Canonum diſpoſitiones, ac pœnas ibidem ſtatutas; quas etiam luent, qui talem habitum minimè ſuſcepiſſe, vel ſuſceptum abiecisse convicti fuerint. Quod ſi Beneficiati ſint, vel ſacra exerceant officia, ſine talari veſte Eccleſiam ingredi non præſumant.

III. Nullus comam immodicè enutriat, multòque minùs fictitiam adhibeat. Anulos quilibet abjiciat, niſi ea ſit præditus dignitate, in qua conferenda anulus traditur, eumque deponat, nec inverſo lapide utatur in Miſſarum celebratione. Neutiquam in choro adhibeantur

chiro-

II.

*Trid.ſeſſ.*14.de refor.*cap.6.& ſeſſ.23.cap.6.*

Can. Omnis Jactantia *cum ſeq.21.quæſt.4 Cap.*Clericis.*Cap.* Si quis ex Clericis.*Cap.* Clerici officia.De vita & honeſt. Cleric.*Clement.*Quoniam,§.Dignitatem,De vita & honeſt. Cleric. *Sixtus V. Conſt.* Sacroſancta.

III.

Can. Omnis Iactantia *cum ſeq.21.qu.4.*

Trid.ubi ſup.

*Conc.Later.IV.can.*16.

Conc. Carthaginenſe IV. can. 44.*& allegatur apud Gratianum. Can.*Clericus *diſt.*42.

*Conc.Agathenſe can.*20.

Conc.Prov.Mediol. IV.

Gallus hoc tit.

De Iulijs in II. Syn. §. Subpœna.

Syn.Prov.Surr.hoc tit.

*Nerius in Edicto num.*3.

Centinus in I. Syn. §. Acolo-ratis.

chirothecæ: nec ocreæ, seù tibialia, nisi violacei, cinericei, nigri, aut alterius honesti coloris deferantur, ut ornamenti nòvitas cum nimia vilitate in omnibus fugiatur, sub pœnis arbitrio prò qualibet transgressione.

I V. Nullus sub pœna amissionis armorum, & ducatorum decem piis usibus applicanda gestare audeat tàm per Civitatem & Oppida, quàm per Villas arma cujuscumque generis prohibita, sive defensiva, sive offensiva, neque per se, neque per alios. Si quis autem tali necessitate prematur, ut illis omninò uti debeat, ad Nos recurrat, qui maturiùs causa cognita facultatem gratis concedemus.

V. Noctu, nisi honesta urgentique causa, domo non exeant, ac facem seù lumen adhibeant, ut omnibus patefiant, tamquam lucis filii non ambulantes in tenebris.

Sine

I V.
Syn.Prov.Surr.hoc tit.
Asprella num.45.
Centinus in I.Syn.hoc tit.
De Iuliis hoc tit.
Nerius in Edicto num.6.
Nepita §.Nullum.
*Can.1.& 23 quæst.*8.
*Cap.*Clerici de vita, & honest.Cler.
Clem.I.eod.tit.
Venationem etiam prohibet Conc.Agathense can.55. Eandem Conc.Epaunense can. 3.sub Sigismundo Burgundionum Rege, Præside Alcimo Avito Viennensi Episcopo, anno 517. Et præterea Canon 13. Matisconensis II. Concilii an.585.

V.
Syn.Prov.Surr.loc.cit.
Asprella num.45.
De Iuliis loc.cit.

V I. Sine habitu Clericali noctu nullus audeat incedere ; Nullus lyras movere , dulces cantare modos , aut canentes comitari præsumat ; Se a comessationibus , & ebrietatibus , a choreis , & comædiis vel recitando , vel operám prębendo , omninò abstineant sub pœnis quoad constitutos in Sacris , & Beneficiatos exilii per sex menses , quo ad alios in Minoribus, & primæ tonsuræ per tres . Hinc sinè Nostra expressa licentia Sacras in qualibet Ecclesia Repræsentationes fieri prohibemus.

V I I. Si quis Ecclesiasticorum publicè aleis, taxillis , aliove ludi genere vetito luserit , aut ex professo domum suam aliis ad ludendum accomodaverit , lusoribusve astiterit , pœna ducatorum decem piis usibus applicanda pro qualibet vice mulctabitur.

Eccle-

V I.
*Can.*Nullus Presbyter , *Can.* Non oportet de Cons. *dist.* 5. *Can.*His igitur,*dist.*23.
*Nerius in Edicto num.*9.
*Centinus in II.Syn.§.*4.
*Syn.Laodicena can.*54.*Clericis vetat spectaculis , & scenicis interesse : citatur in Can.* Non oportet *dist.*95.
*Conc.Later.*IV.*can.* 15. *Clericorum crapulam coercet.*
*Clericorum in ebrietatem lapsum antiquiora Concilia , Agathense can.*41.*,& Veneticum in Gallia can.*13 *puniunt , vel excommunicationis , vel flagellationis pœna.*

V I I.
Conc. Lateranense IV.*can.*16.
Syn.Prov.Surr.loc.cit.
Asprella loc.cit.
De Iuliis §. Si quis Clericorum.
*Nerius in Edicto num.*10.
Nepita loc.cit.

VIII. Ecclesiasticis omnibus subintroducere domum, in qua soli degunt, mulieres suspectas, prohibemus quocumque famulatus, vel ministerii prætextu, sed tantùm honestas, quæ annos quinquaginta compleverint, omnemque effugerint suspicionem: aliter ejiciantur sub pœna a Nobis infligenda. Neque audeant mulieres instruere ad legendum, scribendum, canendum, aliave hujusmodi sine Nostra facultate gratis concedenda.

IX. Per viam nemo se comitem adjungat cum mulieribus in nullo canonico gradu sibi conjunctis, neque illis aliquod indecorum obsequium, laicis etiam periculosum, aut servitutis officium præstet. Transgressores, si sæpius nulla habita Ecclesiasticæ dignitati ratione communia ista cum laicis facere ausi fuerint, graves pœnas prò Nostro arbitrio subibunt.

VIII.

Cap. Inhibendum, & *Cap.* A Nobis, De Cohab. Cler. & Mulier.
Can. Interdixit *dist.* 32. *Can.* Non oportet *cum seq. dist.* 8.
Conc. Prov. II. S. Caroli.
Syn. Prov. Surr. loc. cit.
De Juliis in Syn. §: Clerici.
Nerius §. Sine Nostra facultate.

IX.

Can. Consequens est *dist.* 88.
De Juliis §. Clerici.
Nerius loc. cit.

X. Prò aliis non fidejubeant, præter quam in Curia Nostra, sine cujus licentia nullum testimonium perhibeant in foro laicali; neque deponant super criminalitatis articulos infamiam negativam, vel repulsam concernentes sub pœnis arbitrio; nec medendi artem sub eisdem pœnis exerceant, licet incisio, vel adustio non intercedat, citrà Sedis Apostolicæ facultatem.

X I. Fugiant illicitas negotiationes lucrifaciendi gratia, & contravenientes pœnis Sacrorum Canonum, aliisque ad Nostrum arbitrium punien-

X.

*Can.*Te quidem. 11. *qu.* 1.

*Cap.*Clericus, De Fideiussoribus.

*Cap.*Sententiam, Ne Clerici vel Mon.

Cap. Adamus de Ætat., & qualit.

Syn. Prov. Surr. loc. cit.

Quintius in Syn. num. 45.

Asprella num. 46.

De Iuliis §. Nullus Clericus, & § Medendi artem.

Nerius loc. cit. & cap. 12.

Nepita hoc tit.

X I.

Conc. Lateranense IV. can. 16.

Syn. Laodicena Can. 24. Omnibus Clericis cauponarum ingressum interdicit. Habetur in Can. Non oportet *dist.* 44. *Cui conformis est canon Apostolorum* 13. Si quis Clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur, præterquam si in via propter necessitatem diverterit in publicum hospitium.

*Can.*Clerici *cum seq.* 14. *qu.* 4. *Can.* Pervenit *cum seq.* 21. *qu.* 3.

Trid. sess. 22. de Refor. *cap.* 1.

Syn. Prov. Surr loc. cit.

Nepita loc. cit.

Asprella num. 66.

De Iuliis in II. Syn. §. 12.

Nerius loc. cit.

punientur, ac bona ipsa piis locis applicentur. Tabernas quoque non adeant, nisi necessitate cogente; neque extrà Ecclesiam incedere audeant superpelliceo induti, nisi in Exequiis, & Processionibus, sub pœna duarum librarum ceræ piis usibus erogandæ.

X I I. Ad otium malorum omnium seminarium profligandum Sacrarum Literarum studio dent operam; ad Conscientiæ casus incumbant; Tridentinum, & Cathechismum Romanum calleant; Congregationes Clericorum, quæ semel in hebdomada in Collegio Societatis Iesu, & in Ecclesia S. Agathæ habentur, sedulò frequententent, sub pœnis arbitrio Nostro statuendis. Tandem monemus Clericos omnes, qui nullis, vel saltem simplicibus Beneficiis potiuntur, ut propriæ Residentiæ debitum ex antiqua Ecclesiæ di-

 sci-

X I I.

Can. Si quis 7. *qu.* 1. *Can.* Clericus 21. *qu.* 1.

Trid. sess. 23. De ref. *cap.* 14. & 16.

Conc. Agathense Hac can. 52. *habet*: Presbytero, aut Diacono, aut Clerico sine Antistitis sui literis ambulanti communionem nullus impedat. *Vide canones Apostolorum* 15. 16. & 32. *Et Chalcedonensem canonem* 13.

Iterum Conc. Agathense can. 64. *Triennio suspendit a Communione primum Clericos, qui a propria Ecclesia citra justam causam die aliquo ex solemnioribus, puta Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, vel Pentecostes abfuerint. Deinde Presbyteros, aut Diaconos, qui quocumque anni tempore tres hebdomadas extra propriam Ecclesiam exegerint.*

ſciplina adimpleant ; Quòd ſi voluerint ad eorum beneplacitum per breve tempus quandoque diſcedere , meminerint prò Miſſæ celebratione literas dimiſſoriales , ſeù commendatitias a Nobis , vel Noſtro Vicario Generali obtinere , ex Tridentini Decreto Epiſcopis mandante , ne permittant diu Sacerdotes à Sacrificio vacare.

X I I I. Sacerdotes , nullum ſi adſit impedimentum , diebus ſaltem Dominicis , & Feſtis Sanctorum Sacrificium perſolvant . Cæteri verò , qui Sacerdotes non ſunt , ſed ſive in Sacris , ſive in minoribus conſtituti , paſcantur Angelorum pane diebus ſtatutis in Edicto affixo in Sacriſtia , niſi fuerint pariter impediti ; Quod Edictum , deſignans etiam miniſterium ſingulorum diebus , & menſibus diſtributis in Noſtra Cathedrali Eccleſia , inviolabiliter obſervandum injungimus , ac ſi eſſet præſenti decreto inſertum.

Lau-

X I I I.

Can. Si non frequentius, de Conſ *diſt.* 2.

Conc. Toletanum. 1. *can.* 5. *exigit ab omnibus Clericis , ut Miſſæ quotidiè interſint.*

Continus hoc tit.

De iulus § Clerici.

Nerius §. Si nullum,& §.Interveniant.

X I V. Laudabile Prædecessorum Nostrorum institutum, quo Clerici Nostræ Diœcesis unà cum Canonicis, Parochis, Beneficiatis, aliisque cujusvis Ordinis, gradus, & Dignitatis convenire jubentur die Visitationis Beatæ Mariæ semper Virginis, qui est titulus Nostræ Cathedralis, sub pœna librarum ceræ in Edicto statuta, denuò atque iterum confirmamus; dum Nobis, & Successoribus Nostris Obedientiam per osculum manus præstare tenentur.

X V. Ecclesiastici Ordinis Dignitas tales quidem exigit viros in sortem Domini vocatos, qui veræ pietatis cultu, vitæ innocentia, morum honestate, & gravitate aliis præcellant, habeantur, & debito honore pertractentur; verè enim Parentes nostri sunt, & injuria Clerico illata, illata Ecclesiæ censetur. Nos ad coercendam quorumdam Laicorum impudentiam hoc præsenti decreto sub Excommunicationis pœna mandamus, ut nemo audeat libellos famosos, & cantiunculas contrà Ecclesiasticas Personas

X I V.

Girondus §. In die Visitationis.

Centinus in I. *Syn. Decr.* 5. *§.* Laudabile. *Et in append. cap.* 1. *§.* 2. *&* 3. *ad quintam.*

Nepita in Syn. vers. Monitos esse volumus.

X V.

Nerius loc. cit.

ſonas componere ; qua itidem pœna ferientur a Nobis quicumque auſu temerario intulerint eiſdem , & præcipuè Sacerdotibus graves injurias in locis publicis , vel coram pluribus.

X XI . Novitates uti odioſas relegare ex hac Noſtrà tam Dilecta Diœceſi cupientes , interdicimus omnibus Noſtræ Juriſdictioni ſubjectis , ne in unum conveniant in Eccleſiis , vel Oratoriis ad Procuratores creandos , niſi de Noſtro permiſſu , & perſona deputanda a Nobis , ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis . Quocircà conſilio potius quantum poterunt , labore plùs penè quam poterunt , excubent , vigilent prò Eccleſia Dei , prò qua multum eſt omnibus inſudandum . Etenim quis eſt tàm durus, ferreus, & inhumanus , quem non commoveant, & in fletum maximum adducant tàm gravià, & ferè inſanabilia illi inflicta vulnera . Ad horum auxilia congregendi conventus , ad hæc mala inflammandus Eccleſiaſticus Ordo.

X V I I. *Sciant* poſtremò univerſi , in die illa iræ ſtrictiorem Deo reddituros rationem de Vnigenito Filio ſuo , quem in hujus mundi miſeriarum profundum Cœlo dimiſit in rem penitùs omnium , omniumque ſalutem . Quomodo fidem ejus , documenta , leges , conſilia , exempla cuſtodiverint . Quibus compenſaverint officiis labores exhauſtos , ærumnas perlatas , injurias

juriis

jurias acceptas , contumelias toleratas . Qua tandem veneratione , religione , observantia , ac sanctimonia Sanguinem prò humano genere ad mortem usque in Cruce effusum contrectaverint . Ecclesiam denique suam negotio tanto constructam , tàm longa , tàmque clara & generosa martyrum acie communitam , tot Patrum Doctrinis , ceù lampadibus Spiritus Sancti illustratam , qua fide , & vigilantia servaverint, atque excoluerint .

CAPUT III.

De Exorcismis .

I. EXorcizandi officium non alii , nisi apprimè edocti exerceant , qui in verè obsessis debita charitate Fidem , per quam in libertatem gloriæ filiorum Dei asseruntur , excitare satagant , & a dubiis hominibus , qui plerumq; falluntur , nimiam credulitatem amovere ; ne in ministerio tàm sancto obeundo ludicrum aliquod , & indecens irrepat . Ut tandem efficacissimum

I. *Conc. Arausicanum I. can. 14. Energumenis permittit , ut omnimodè communicent , si se sollicitudini Clericorum tradant , monitisque obtemperent , virtute Sacramenti muniendi contrà dæmonum aggressiones.*

ſimum Energumenis præbeat remedium, ſtudeat Exorciſta cautè, ac devotè in hujuſmodi actione ſe gerere: & ideo, antequam exorciſmum adhibere voluerit, jejunio & oratione ſe ipſum præparet, conſcientiam mundet, horteturque obſeſſum, ut prius confiteatur, ac Fidei actum in Deum eliciat.

I I. Diabolicæ vexationis indicium conſtabit ex fide jurata Medicorum, aſſerentium non profuiſſe medicamenta adhibita; ex qua fide concedetur a Nobis exorcizandi officium, quod nullus Sacerdos ſive Secularis, ſive Regularis exercere audeat in qualibet Eccleſia, etiam propria, ſub pœnis quo ad Seculares ſuſpenſionis a Divinis, quo ad Regulares privationis ipſo facto ab audiendis confeſſionibus facultate.

I I I. Ipſa facultate conceſſa fiant exorciſmi, prò ut in Rituali Romano ſunt inſtituti, & nonniſi in Eccleſia a Nobis deſtinata, neque in ædibus laicorum, aut in privatis locis, niſi id exprimatur; ſed in publico Eccleſiæ loco, præſentibus dumtaxat viris honeſtis, & gravibus

I I.

S.C.Congr.in una Parmenſi 15 Novembr. 1645.Et 31. ejuſdem menſis & anni in Sulmon.

Nerius cap.8.

Nepita tit.de Parochis.

I I I.

Rit.Rom. in Rubr. de Exorciſmis.

Conc.Mediol.1.par. 7. hoc.tit.

Syn.Prov.Surr.hoc tit.

Nerius loc.cit.

bus ætate, ut decentiùs actio peragatur; & adjuvetur Obsessus piis adstantium precibus.

IV. Se abstineat Minister ab experimentis, interrogationibus, & quæsitis, quæ a Sacris hisce sint aliena Ritibus. Unctionem, & quodlibet aliud remedium nullimodè propria manu fœminis applicet, licet sint verè maleficiatæ, sub iisdem pœnis suspensionis a Divinis, & privationis facultate audiendi confessiones.

V. In fœminis energumenis exorcizandis adhibeat Minister duos probatos Viros, duasque, vel unam saltem ætate maturam fœminam unà cum Persona Ecclesiastica. Prædictiones, revelationes, seù visiones Energumenorum contemnat, nullamque eis præstet fidem; quæstum omnem aufugiat, turpiaque & inania evitet.

IV.
Rit.Rom.§.12.
Syn.Prov.Surr.loc. cit.
Nerius loc.cit.

CAPUT IV.

De Tertiariis, et Bizochis.

I. Mulieres, seu Virgines in privatis domibus degentes, singularem Divinæ Misericordiæ gratiam in suscepto alicujus Religionis habitu confoveant, atque conservent. Sint humiles, modestæ, directoribus suis obsequentes, non vaniloquæ, non rerum secularium cupidæ: Sacramentorum sitiant fontes, Ecclesias frequentent, Orationi indulgeant, ac id unum studeant, quomodo Deo satisfaciant, ab omni vanitate, & hominum conversatione abhorrentes.

II. Superioribus Regularibus sufficienti facultate a Sede Apostolica suffultis in memoriam reducimus Decretum S. Congregationis Episcoporum, & Regularium emanatum die 20. Decembris 1616. quod præcipimus ad unguem observari. Quarè juxtà ipsius tenorem nullus sine Nostra facultate; & sinè prævia informatione a Nobis capta admittat mulieres ad habitum Tertii Ordinis: quippè quæ talibus debeant requisitis

II.
S.C.Ep. 10. Dec. 1616.
Nicolaus IV. Const. 2. Supra Montem 17. *Aug.* 1289.
Nerius cap. 11. hoc tit.

quisitis gaudere, ut scilicet sint probatæ vitæ, bonis moribus præditæ, in ætate quadraginta annorum constitutæ, & undè possint sufficienter vivere, de proprio habeant: neque cum aliis viris, quàm consanguineis, vel affinibus in primo, & secundo gradu sibi adjunctis cohabitent.

III. In hujusmodi autem habitu concedendo, ac respectivè deferendo abstineant se a velo supra caput, quod Superiectum dicitur, a Pectorali, seu Subcanno, & a Patientia, quæ propria sunt insignia Monialium solemniter profitentium. Quin imò eas, quæ supradicta tria, vel ipsorum aliquid deprehensæ fuerint deferre, illa dimittere etiam per censuras a Nobis compellendas esse, Sacra Congregatio decrevit.

IV. Attamen per hæc Decreta non prohibetur ipsis, vel aliis quibuscumque deferre non posse, vel voti, vel devotionis causa vestem cujusvis Religiosi alterius coloris; dummodò hujusmodi vestis non conveniat cum habitu, seu sacco, quo utuntur Tertiariæ, vel Moniales claustrorum.

Z 2 CA-

III.
S.Congr.cit.num. 11.
Can. Placuit, *Can.* Juvenculas 20 *quæst.* 1. *Can.* Diaconissam, *Can.* Vidua 22. *quæst.* 1.

IV.
Nerius loc. cit.

CAPVT V.

De Sanctimonialibus.

I. MEminerint quotidiè Sanctimoniales, se Divino Numini esse desponsatas: idcircò & mentis, & cordis puritate, innocentiæ operibus, Regularium observantia, Sponso suo, qui est Christus Dominus, præ cujus amore seculi vanitatibus, illecebrisque verterunt terga, viribus omnibus placere studeant. Igitur ne minimus quidem aditus infensissimo Animarum hosti, qui Virginalem simplicitatem variis insidiarum technis impetere aggreditur, per Custodum negligentiam præbeatur, invigilent.

I I. Omnibus sub gravissima pœna a Nobis imponenda prohibemus accessum ad colloquendum cum illis, sine Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis facultate: exceptis Conjunctis extrà tempus Adventus, & Quadragesimæ.

Nulli

I I.

Can. In Decima 18. *qu.* 2. *Cap.* Monasteria de Vita, & Honest. Cleric. *Cap.* Periculoso de Statu Regul. *in* 6.

III. Nulli quavis prædito dignitate Presbytero liceat sine Nostra, vel Nostri Generalis Vicarii licentia in Monialium Ecclesiis celebrare sub pœna librarum trium ceræ in subsidium Excommunicationis, nisi ordinario Cappellano, vel Beneficiatis in eis; quod etiam de Regularibus intelligi volumus sub pœna arbitraria.

IV. Ex Decretis Sanctæ Visitationis localis Ecclesiarum Monialium prohibuimus, ut præsenti etiam Constitutione prohibemus, ne aliquid a Communicatoriis extrahatur, quamvis ad Ecclesiæ servitium pertineat: proindeque excepto Sacræ Communionis tempore, ac usu candelas dispensandi, & palmas, sint illa semper clausa, & clavis per Monasterii Priorissam retineatur; dedecet enim, locum addictum pro Monialibus pascendis Eucharistico alimento ad aliud commodum adhiberi, atque usum.

V. Sint Sacramentis assiduæ, humiles, ac devotæ, non sint clamorosæ, sed mites, obedientes, charitatem invicem servantes, sanctisque moribus præditæ; modestiam demùm in omnibus præseferant, ac præsertim Educandæ ab omni fuco, & corporis ornatu alienæ.

CA-

III. *Cap.* Monasteria, de Vita, & Honest. Cleric.

IV. *Alexander VII. pro Vrbe const.* Sacrosanct. 10. *Febr.* 1657.

CAPVT VI.

De Sacristis.

I. DUorum Pastophoriorum accuratè meminit Clemens in *Constit. Apost.* quæ solebant intrà Ecclesias extrui: quorum pariter mentio est apud Paulinum sub nomine *Secretariorum*, quæ dicit esse ad absidem, *in epist.* 11. *ad Severum*. Cum verò absis peculiariter diceretur fornix, seu arcus ipsum Sanctuarium supernè coronans, colligitur indè duo illa Pastophoria, seù Secretaria fuisse ad utrumque Sanctuarii latus collocata, quorum unum inserviebat, ut aliquibus visum est, prò ea, quæ nunc vocatur Sacristia, & olim Secretarium. Grecè quoque Sacristia vocari solebat Σκευοφυλάκιον, & cui ejus cura incumbebat, Grecè Σκευοφύλαξ, Latinè Sacrista, custos, & ædituus. Alterum pastophorium, & Secretarium inserviebat recondendis sacris, & Ecclesiasticis libris; testatur enim Paulinus se, quod ad lævam erat, Secretarium, hoc inscripsisse distícho;

> *Si quem Sancta tenet meditandi in lege voluntas,*
> *Hic poterit residens Sacris intendere libris.*

Nos

I I. Nos itaque tàm laudabile antiquæ Ecclesiæ institutum laudantes, in omnibus saltem majoribus Templis Sacristis cum aditu in illa construi commendamus. Vnus, vel duo sint in Nostra Cathedrali, Sacristæ, qui non solùm Clerici sint, ut hoc munus exerceant, sed illi etiam assumantur, qui in eo Ordine meliores reputantur, ut nulla negligentia in Sancta Dei Ecclesia deprehendatur. Non omittat Sacrista Clericus Campanæ signa tàm de mane, quàm vesperè prò Angelica Salutatione. In funeribus, & exequiis per Civitatem, & Diœcesim persolvendis cum Cruce Cathedralis præcedat, & Parochum associet prò Sacramentorum administratione. Lampadem ardentem antè Sanctissimum Sacramentum confoveat, de summo mane Sacra Suppellectilia prò Missis celebrandis, aliaque necessaria præparet, scopis quolibet octiduo, etiam ab araneatum telis, totam Ecclesiam emundet. Quando alter Sacrista est impeditus, vel ab Ecclesia abest, sit in ea Clericus assiduus, neque per ipsam vagetur, nisi prò opportunis ministrandis, ineptisque obviandis. Quæ omnia cum de consuetudine Nostræ Cathedralis invenian-

I. I.
Conc. Prov. Mediol. tit. Quæ pertinent ad ornatum.

niantur ; volumus omninò confirmata ; aliarumque Ecclesiarum Æditius obnixè demandata.

III. *Sit* de omni Ecclesiastico ornamento Sacrista solicitus; munditiem tùm in Corporalibus, tùm in Purificatoriis, ac reliquis eiusdem generis præ oculis habeat, quæ, nisi ab aliquo in Sacris constituto, atque in vase ad id specialiter destinato, minimè abluantur; habeant Calices cuppam, & patenam solùm ex argento deaurato: Quæ omnia si accomodari debeant, fiat de consensu Reverendi Æconomi.

IV. Missis celebratis in propriis recondat locis Sacras Vestes, Missalia, Vascula, uti etiam librum, in quo describuntur Missæ peractæ a Cappellanis, qui eas debent propria manu conscribere prò satisfactione, ut sancivit Alexander VI.

V. Non permittat Sacerdotes de Sacristia ad celebrandum exire, nisi prius in Altari candelæ accendantur, & sin ampullæ paratæ, ut admirationes, ac evagationes tàm celebrantis, quàm circumstantium evitentur. Curet pariter, ut in diebus festis persolvantur interpellatim Sacrificia,

III.
Can. Omnis Præsbyter de Conf.*dist*.4.

Can. Ut Calix de Conf. *dist*.1.

crificia, unum scilicet post aliud, uno tantùm Calice præparato, exceptis dumtaxat Canonicis, ac si fortè adveniret Sacerdos advena celebraturus.

V I. Penes ipsum sit clavis Ecclesiæ, neque ulli commendet laico, cum scire debeat, ad ipsum spectare suppellectilium, ac pretiosorum vasorum custodiam. Non permittat propius ad Altare laicos accedere, neque in Sacristia confabulari, Clericisque inhibeat extrà Ecclesiam immorari.

C A P U T VII.

De Foro, & Stylo Curiæ Episcopalis.

I. UT Forus Noster Episcopalis semper, & in posterùm ea sit præditus integritate, qua in præsens regitur, cum & ejus Ministris nullam faciat injustitiam dominari, & eorum dextera muneribus vacua impertiri unicuique dignetur jus suum voluntate constanti, ac perpetua. Mandamus proindè, ut non solùm Taxa Innocentiana quo ad Ministrorum mercedem, verùm etiam Metropolitanæ Curiæ stylus, a quo ille prædictæ Curiæ Nostræ ex nihilo differt, tàm prò Civilibus, & Criminalibus cau-

ſis, quàm prò aliis quibuſcumque penitùs obſervetur. Utraque igitur, Innocentiana ſcilicet Taxa, & Surrentinæ Curiæ Stylus in aula publicæ Audientiæ affixa detineantur, ut omnibus pateſiant.

I I. Ne illius Actuarius ſiniſtra inuratur murmuratione; ſed ſemper ipſius integritas certis eluceat argumentis, volumus, & præcipimus, ut in calce cujuslibet expediendæ Scripturæ fideliter adnotet, quid prò illa fuerit perſolutum; aliter arbitraria pœna plectetur, uti etiam ſi Taxas prædictas non obſervaverit.

I I I. Obſervet Vicarius Noſter Generalis, ut in capitibus porrigendis contrà Eccleſiaſticas perſonas per viam denunciationis apponatur nomen porrigentis: Et cum denuncians ad evitandum evitanda ſe nolit prodere, ſuam ſaltem perſonam Noſtræ Curiæ notificet, ut ejus legalitas innoteſcat; ne odii cauſa ab incertis Perſonis falſa, & ficta contrà Innocentes obiiciantur, ex eo quòd falſa crimina, licet non probentur, notam plerumque inurere ſoleant.

Archi-

I I I.
Cap. 2. De Re Judicata.
Trid. ſeſſ. 21. de Reformat.
cap. 10.

I V. Archivium Nostrum, in quo reponuntur Processus omnes tàm Civiles, quàm Criminales, Matrimoniales, Beneficiales, uti etiam Scripturæ aliæ, ac Inventaria Bonorum Ecclesiasticorum, nec non Registra Bullarum, & Jura omnia pertinentia ad Nostram Mensam Episcopalem, & Cathedralem; cum maximè naufragium perferat tempore vacationis Sedis Episcopalis, mandamus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, cujus absolutionem Nobis reservamus, ut nullus audeat in futurum delere, comburere, supprimere, aut quomodolibet auferre, & occultare Processus, Instrumenta, & alias quascumque Scripturas ad Forum, aut Mensam Episcopalem spectantes. Quam etiam pœnam ipso facto incurrant, qui nunc aliqua ex prædictis retinent, quamvis non legitima ad illos olim via pervenerint, nisi restituant intrà duorum mensium spatium a promulgatione præsentis Constitutionis.

V. *Seris* perpetuò occlusum retineat ipsum Archivium Noster Vicarius Generalis, clavesque nemini tradat, neque cujuslibet generis Scripturas, nisi Ipso spectante, vel Nostro Actuario, legendas exhibeat, illasque deindè in suis recondat locis, ut facillimè possint reperiri.

CAPUT VIII.

De Legatorum Piorum Exequutore.

I. LEgata Pia ex Sanctissimi Pii V. Constitutione, quæ incipit, *Exigit*, executioni demandari debent intrà triennium a die obitus Testatoris; aliter exequentur Commissarii Reverendæ Fabricæ S. Petri, retenta eorum medietate prò dicta Fabrica. Nos verò, ut infrà annum hujusmodi Testatorum mentes, & voluntates adimpleantur, deputamus Exequutorem, & Judicem in hujusmodi causis cum facultate prò ut de jure cogendi quoscumque recusantes adimplere tales dispositiones ad pias Causas Admodum Reverendum Dominum D. Cristophorum Scoppa; ut sic electus, constitutus, & deputatus valeat, ex tali faultate, aliisque necessariis & opportunis præfatum officium fideliter adimplere; atque exercere.

CA-

CAPUT IX.

De Pœnarum Depositario.

I. QUia ex Sacro Tridentino Concilio pœnas pecuniarias prò cujuslibet delicti, & delinquentium qualitate exigendas piis locis applicari fatemur, & ad solvendum condemnatus audiri non debet, nisi facto de illis publico deposito penes aliquem a Nobis deputandum juxtà S. C. declarationes; propterea pœnarum Depositarium eligimus, ac deputamus ad Nostrum arbitrium Admodum Reverendum Dominum D. Antoninum Palma, qui & de fidelitate servanda cautionem præbeat, & nihil nisi de mandato manu Nostra subscripto expendat, & in fine anni Nobis dati & accepti reddat rationes.

II. Jura Cathedratici, seu Synodatici, quæ exigere possemus in Nostra hac prima Synodo, & sunt

I I.
S.C.Episc.26.Febr.in Benev. 1687.
Et in Maj.Lubrens.26. Apr. 1619.
Girondus § Quòd vero.
Gallus tit. de Exequi.s.
De Iuliis cap. 18.

Ad munificentiam istam pari rependendam præmio pereleganti, qua potuit, impressione, suisque sumptibus Synodum hanc Diœcesanam typis perlibenter edidit universæ Diœcesis Clerus Pastoris sui amantissimus.

ſunt introducta ad Cathedræ Pontificalis honorem, quæque a toto Capitulo, Parochis, & Clericis in pecunia uſuali, quæ conſtat ex duobus ſolidis, ex Coſtitut. Honorii III. quæ incipit, *Loquente*, in Synodi celebratione ſolent Epiſcopo perſolvi, eiſdem benignè, & liberaliter condonamus, nullo per hujuſmodi munificentiam illato Nobis, Noſtriſque Succeſſoribus præjudicio in futurum.

CAPUT ULTIMUM.

De Conſtitutionibus Synodalibus.

I. CONſtitutiones Synodales, quas ad Fidelium Noſtri Regiminis ſpecialem utilitatem, atque Eccleſiaſticam Cleri diſciplinam hac prima in Synodo ſtatuimus, eſto collegimus ex ſalutaribus Noſtrorum Prædeceſſorum legibus, quas Noſtræ Dignitati proſequi honorificum, & ſaluberrimum reputavimus, tàm exactè ab omnibus obſervari mandamus, ut pœnarum executioni locus non relinquatur, illarumque jam peracta publicatione ità volumus quemquam devinciri, ac ſi eſſent ſingulis perſonaliter intimatæ.

II. Noſtræ autem Auctoritatis fines non ità Conſtitutionibus iſtis præfinimus, ut eas vel mutare,

tare ; vel corrigere , imò ubi opus fuerit cum subditis Nostris dispensare , aut illis addere, quæ in Domino addenda videbuntur , prò ut æquitas , & eventuum exigentia suadebunt , non possimus . Verùm salutares Prædecessorum Nostrorum Constitutiones Synodales præsentibus adversantes ad hujusmodi terminos reducimus.

I I I. Omnibus , & singulis Nostræ Curæ subjectis , sive sint Dignitates , & Canonici Nostri Capituli , sive sint Parochi , vel Rectores nuncupati , sive Cappellani , aliique Presbyteri , & Clerici etiam in minoribus , & prima Tonsura constituti sub pœna ad Nostrum arbitrium mandamus , ut infrà trium mensium terminum apud se habeant præfatas Constitutiones vel manu exaratas , vel typis impressas , ut eas valeant prò casuum contingentia memoriæ demandare , à vetitis abstinere , ac præcepta exequi . Regulares quoque , Confessarios , & Concionatores hortamur , easdem apud se retinere prò suis ritè muneribus persolvendis in earumdem Constitutionum materia.

IV. Curet obnixè Vicarius Noster Generalis , cujus erit Synodales has Constitutiones exequutioni demandare , ut nulso studio prætermisso illarum vigeat apud omnes observantia . De cætero omni qua decet , & debemus reverentia , ac submissione ergà Sanctam Catholicam Romanam

Ec-

Ecclesiam, Ecclesiarum omnium Matrem, ac Magistram has Constitutiones Nostras Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Papa XIII. Salvatoris Nostri in Terris Vicario humillime subiicimus, ut Apostolicæ Sedis authoritate immutentur, corrigantur, emendentur, aut si dignum fuerit, fulciantur.

JACOBUS MARIA DE ROSSI
Episcopus Massæ Lubrensis.

VINCENTIUS DE TURRI
Synodi Secretarius.



IN-

INDEX CAPITUM,

Quæ in triplici Parte continentur Synodalium Constitutionum.

PARS PRIMA.

De Fidei Professione, & Sacramentis. pag. 3.

CAP. I. *De Fidei Professione.* 4.

CAP. II. *De Sacramento Baptismatis.* 7.

CAP. III. *De Sacramento Confirmationis.* 13.

CAP. IV. *De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.* 17.

CAP. V. *De Pœnitentiæ Sacramento.* 25.

CAP. VI. *De Casibus Episcopo Reservatis.* 30.

§. I. *Casus cum Excommunicatione Reservati.* 32.

§. II. *Casus sinè Excommunicatione Reservati.* 33.

CAP. VII. *De Extremæ Unctionis Sacramento.* 36.

CAP. VIII. *De Ordinis Sacramento.* 39.

§. UNICUS. *Ordinandorum Requisita enumerantur.* 47.

CAP. IX. *De Sacramento Matrimonii.* 51.

PARS SECUNDA.

De Rebus, ac Muneribus Ecclesiasticis. 60.

CAP. I. *De Sacrosanctis Ecclesiis.* 61.

CAP. II. *De Celebratione Missarum.* 69.
CAP. III. *De Divinis Officiis, & Choro.* 80.
CAP. IV. *De Observatione Festorum.* 85.
CAP. V. *De Immunitate Ecclesiastica.* 89.
CAP. VI. *De Bonis Ecclesiasticis non alienandis, & de occupantibus eorumdem Jura.* 92.
CAP. VII. *De Sacris Processionibus.* 97.
§. UNICUS. *Nova Methodus circà Processiones S. Marci, ac Rogationum construendas exponitur.* 102.

PARS TERTIA.

De Personis, et Moribus Ecclesiasticis. 107.
CAP. I. *De Parochorum Munere.* 108.
CAP. II. *De Vita, et Honestate Clericorum.* 117.
CAP. III. *De Exorcismis.* 127.
CAP. IV. *De Tertiariis, et Bizochis.* 130.
CAP. V. *De Sanctimonialibus.* 132.
CAP. VI. *De Sacristis.* 134.
CAP. VII. *De Foro, et Stylo Curiæ Episcopalis.* 137.
CAP. VIII. *De Legatorum Piorum Exequutore.* 140.
CAP. IX. *De Pœnarum Depositario.* 141.
CAP. ULTIMUM. *De Constitutionibus Synodalibus.* 142.

ERRA-

ERRATA SIC CORRIGANTUR:

Errata	pag.	Corrige
Inviſibiles	3.	Inviſibilis
Educeant	11.	Edoceant
Docet	12.	Decet
Eum	17.	Cum
Propriæquæ	19.	Propriæque
Clavæ	23.	Clave
Qui ſemper	23.	Quæ ſemper
In aliqua	23.	Ità aliqua
Paſſum	28.	Peſſum
Confertut	39.	Confertur
Præcamur	40.	Precamur
Deſit	47.	Deſierit
Subdiaconus	49.	Subdiaconatus
Tunc debitam	60.	Tùm debitam
Volente	70.	Volentes
Ad longinguam	77.	Ob longinquam
Hortanto	105.	Hortando
Quia in re	107.	Qua in re
Congregendi	126.	Congregandi
Sacramentum	130.	Sacramentorum
Sacriſtis	135.	Sacriſtias
Sin	136.	Sint

